Vaults
7-5
Book # 10[illegible]

Maier Mich. Alchemist
1588 - 1672

[illegible]
[illegible]
[illegible]

Inv. of Gunpowder
Printing
The Reformation

Bibliotheca Colbertina.

VERVM INVENTVM,

Hoc est,

MVNERA GERMANIÆ,

AB IPSA PRIMITVS REperta (non ex vino, vt calumniator quidam scoptice inuehit, sed vi animi & corporis) & reliquo ORBI communicata, quæ tanta sunt, vt plæraque eorum mutationem Mundo singularem attulerint, vniuersa longe vtilissima extiterint,

Tractatu peculiari euoluta & tradita

AVTHORE

MICHAELE MAIERO, COMITE Imperialis Consistorij, Equite, Exempto, Phil. & Med. D. P.C. olim Aulico Cæsar: nunc illustriss. Princip. ac Dn. Mauritij: Hassiæ Landgrauij, &c. Archiatro.

Anno 1619.

FRANCOFVRTI,

Typis NICOLAI HOFFMANNI, sumptibus Lucæ Iennis.

Iohannes Owenus Britannus Epigramm. 18. lib. 1.

Si latet in vino verum, *vt prouerbia dicunt,*
INVENIT VERVM TEVTO, *vel inueniet.*

Responsio Authoris:

Sis Vates, fatuusve *licet, verum Ovvene dicis,*
Inuenit VERVM TEVTO, *sed absque mero.*

STRENVIS, MAGNIFICIS, NOBILIBVS, AMPLISSIMIS, PRVDENTISSIMISQUE viris DDnn. Consulibus totiq; SENATVI celeberrimæ, Liberæ & Imperialis CIVITATIS ARGENTINENSIS, Dominis suis obseruandis & colendis

MICHAEL MAIERVS COMES Pal. &c. D. D. D.

STrenui, Magnifici, nobiles, amplissimi, prudentissimiq; viri, tanta necessitudinis lege liberi ac parentes inter se ab ipsa Natura vinciuntur, vt si quid hi de illis, aut vice versa siniſtri, quod in damnum alterutrorum cedere possit, audiãt vel videant,

sympathiam suã aut potius Storgas menti & sanguini implantatas celare nequeant, sed mox ad defensionem quocunque iure erumpant: Illustre exemplum est in Atyde Crœsi filio, qui cum esset natura mutus ac videret hostilẽ gladium paterno imminentem iugulo, solutis linguę vinculis sicarium voce corripuit & manu compressit: Hic affectus apud ingenuos non solum erga parentes, sed quoq; patriam, tanquam carissimam matrem se extendit. Vnde Poeta:

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui:

Atq; hinc nõ videtur reprehensione admodũ dignus ille ex Athenienſibus, qui Corinthi degens

gens dicebat, Athenis Lunā longe nitidiorem videri, quam ibi: Vicerat enim amor Patriæ: Hac eadem cauſa ductus videri poterit qui patriæ ſuæ laudibus ab aliis per calumniam nihil detractum velit: Debemus equidem hoc patriæ, debemus conſanguineis, amicis ſeu etiam conterraneis, imo potius veritati, vt, quātum in nobis eſt, eam ab iniuriis ſartā, tectam, reſeruemus, & pro virili, ore, manu, mente, bonis, ſanguine, ſi op⁹ ſit, defendamus: Eo affectu cū hacten⁹ in GERMANIAM, communē nobis patriam, ipſe animatus fuerim, non potui intermittere, quin, quantum res pateretur, contra inuidos ac apertos calumniatores eius velitationem quandam leuiculam inſtituerem; Etſi vero facile agno-

ſcam, GERMANIAM adeo magnã (quæ tãtum alias inter caput extulit omnes, vt Poetæ verbis vtar, quantum lenta ſolent inter viburna cupreſsi) vt fama de ea (tanquam de honeſtiſsima & optima matrona) mentiri erubeſcat, atq; hinc noſtra opella non indigeat, tamen cum videam tot eſſe Theones, Momos & Codros ab aduerſa parte, quibus vix aliquis hilum referat, ac pleroſque ſuo lucro magis, quam publico bono intentos, hinc ſilentium (quod Amyclas olim perdidit) rumpere volui & cum Atyde illo parentẽ à ſicariis protegere: Mutus equidem videri poſſem, ſi ad alios eloquentiſsimos noſtrę patriæ viros reſpiciam, ſed quia illi aliis præoccupati, vt dictum, negotiis tantilla non curent, hinc

quaſi

quasi balbutiente lingua & titubãte voce aduersarios potius terrere, quam iniuriam inferentes tolerare, præsumpsi: At enimuero non omnino de re vilissima, sed si bene considereretur, de INVENTIS omnium maximis, Germaniæ propriis, mihi hic disquisitio est, quam nulli alteri ordini maiori iure, quam vestris Amplitdd. & Magniff dedicare aut offerre debui, nec volui; siquidem in quatuor prioribus INVENTIS vestra RESPVBLICA inprimis floreat & ornatissima reddita sit: Præterquã enim quod ea sit non exigua pars Imperii illius Romani ad Germanos translati, tum omnem fere laudem inuentionis Typographiæ & Copiæ Tormẽtorũ bellicorum, aliis præripuit & quasi propriam sibi fecit: Ad

hæc LVX REPVRGATI EVANGELII, quod bonorũ ſummum, illi non minus, quã aliis ex Dei nutu conceſſa eſt, ne quid de vltimis duobus adiiciam: Beneuolo itaq; animo, vt ſpero, hoc meum licet incultum & effuſum potius, quam elaboratum ſcriptum accipietis, & animum magis, quam munuſculum (quod valde leuidẽſe eſt) reſpicietis, meq; inter veſtrarum Amplitdd. obſeruãtiſsimos habebitis: Amor patrię, vt ſi quid acrius, in tempeſtiuius aut ingratius quibuſdam ſcripſerim, ſic quod tãtilla ſub tãto patrocinio edere voluerim, vtrobique me excuſet: Quas Deo Opt. Max. in ęternum commendatas habeo: Dabam Francofurti cis Mœnum, Anno 1618. Menſe Septembri.

PRÆ-

PRÆFATIO
ad Lectorem.

Miratisunt omnis ætatis Philosophi, lector beneuole, qui rerum naturalium contemplationi se dederunt & seipsos noscere inprimis conati sunt, Cur homo nobilissimus ex creaturis, nudus, inermis, imbecillis, & omnium rerum inscius in hunc mundum nasceretur, cum econtra bestiæ pleraq; densa cute & villosa, contra aeris & noxiorum iniurias, armis genuinis, videlicet dentibus, cornibus, calcibus, vnguibus aut spiculis minacibus instructa sint, & iam recens editæ, sola natura duce, incedere aut currere, aquã & ignem, aliaque pericula, etiam antequam inde noxam senserint, vitare & præcauere nouerint: Verum consideratis tantarum rerum causis, inuenerunt Naturam homini minime nouercã (vt Theophrastus iam moriturus eã proclamauit) sed benignissimam extitisse matrem, quæ ei duo nobilissima beneficia & priuilegia præ reliquis animantibus concesserit, illius commoditatis & vsus, vt his facile omnes bestias longe antecellat, suosque defectus, si qui fuerint, resarciat & compleat: Atque hæc sunt MENS & MANVS, *quibus alia duo subseruiunt, nempe* ORATIO & SCRIPTIO: *Quoad*

nuditatem hominis, dicendum, quod Natura eum non rugosa aut villosa cute donarit sive vestierit, velut ipleraque brutorum, sed nudum & sensitiuum procreat ob diuersas causas, eidemque bestias & totam terrā subiecerit, vt ipse MENTE *sibi vestem quæreret &* MANV *efficeret : Idem statuendum est de eius inermitate, imbecillitate & ignorātia: Vnde* Aristoteles *hominem rationalem esse affirmauit, quia manus haberet, quod vt verum est, sic reciprocum videtur, hoc est, eum manus habere, quia rationalis sit : Hæc enim duo, Mens & Manus, se inuicem respiciunt adeo, vt vnum ab altero foueatur & ad finem suum consequendum adiuuetur : Mens absque manu inutilis, sic manus absque mente est : Quod enim mens seu ratio inuenit & ex specierum comparatione extundit vtile, id manus exequitur & in actum seu opus ponit ; Et econtra quæ ab aliis longo labore facta sunt, de iis ratio iudicat, eorumque vtilitatem considerat & finem cum cæteris causarum generibus perpendit, vt ea vel imitetur exemplo vel nouo adaugeat inuento : Ex his fontibus Theorica & Practica in artibus deducuntur, quarum illa ingenio seu menti, hæc manibus*

nibus correſpondet: Oratio vero, quæ mens inuenit & manus expreſſit, communicat alteri, ne bonum ſolitarium vel incognitum maneat; Et hinc cœtus hominum in vnum vocantur locum, facta concione & politiæ inſtituuntur; quæ eſt origo regnorum, ciuitatum, vicorum & cohabitationum: His accedit & quartum, dicenda vel dicta literis mandans, ne pereant & cum aere euaneſcãt, ſed ad longam poſteritatem tranſmittenda perpetuæ conſecrentur memoriæ; atq; hæc eſt ſcriptio, quæ orationẽ cum manu & mente connectit, & cauſa exiſtit, cur gentes aliæ alias ſapientia, ciuilitate & moribus antecellant, quod conſideranti rem penitus, facile occurrit: Nam qui iam à primo ortu omnis doctrinæ & vitæ politioris rudis & ignarus eſt, etiamſi ſenſibus communibus & ratione non deſtituatur, quomodo erudiri poterit & à barbarie ſua vindicari, abſque voce alterius? Ille vero qui alium inſtituendum ſumit, ſi ipſe nihil præclari didicerit, quomodo poteſt diſcipulum ſuum plura & potiora, quam ipſe nouerit, docere? Vnde neceſſario manent gentium mores, vt ſunt prius, inculti & barbari, niſi literarum ſeu ſcriptorum notitia accedat & barbariem extirpet: In

literis

literis enim seu historiarum monumentis & scientiis, omnia quæ facta sunt decentia, quæ secus, ab aliis populis notantur, quæ cum vtilitate vel damno, honore vel dedecore, cum bono & læto exitu, aut malo coniuncta fuere: Idem Liuius *Romanæ historiæ scriptor testatur his verbis:* Hoc illud est præcipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri, vnde tibi tuæque Reipublic. quod imitere, capias: vnde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites. *Literarum siquidem ope, historiarumque cognitione qui ante fuit omnium rerum imperitus & nimis simplex, Ianus efficitur bifrõs, qui vna facie retro in longissima tempora diuersissimorum regnorum & gentium, adeoque omnem antiquitatem, respicit, altera in futura, ex præteritis cõcludens de futuris, tanquam prouidus Prometheus cauens instantia pericula & casus ancipites, non semper damno suo, vt Epimetheus, sapiens. Cum literis itaque creuit hominum sapientia, ciuilitas in moribus, omnisque Politia, & vbi literæ non fuerunt, ibi necessario barbaries inculta mansit, qualescunque fuerint populi, siue*

siue à solo & cælo acriter animati, siue non: Chaldæi primi agnoscuntur sapientes literarum ratione, quas illi à primis patribus acceperunt: Hos sequuti sunt Ægyptii, qui eas duplices habuerunt, quasdam solis sapientibus, alias quoque vulgo intelligibiles: Post hos Phœnices, Arabes & Syri: Deinde Græci, Cadmo *eas tradente, Hinc Itali, Galli & Hispani: Germani vt longius remoti (Phœnices enim primi eas Hispanis & illis proximis, Gallis tradiderunt, dum nauigiis ad aurifodinas Hispanicas traiecerint, aurumque inde, tum Hispanis, vt* Ludoicus Viues *in Augustin. libros de ciuitate Dei annotat, ignotum nec in vsu aut precio habitum, domum reportarint) diutius absque literis in illa sua simplicitate seu barbarie vixerunt, nempe fere ad Romanorum vsq; aduentum in Germaniam, quamuis in castris Helueticis tabulas Græcis literis scriptas fuisse inuētas suo tempore tradat* C. Cæsar *in Commentariis: Hæc est causa, cur Germani toties barbari audiant à Romanis, qui idem nomen prisco tempore à Græcis retulerunt, & cur res Germanorum à nullo antiquiseculi sint descriptæ, nisi ab hostibus eorum Romanis: Eadem est causa, cur tum Germani*

auri

auri & argenti, humanioris cultus & literaturæ omnis ignari extiterint, terraque eorum non nisi ad fruges & pasturam vsurpata sit, nec diuitiæ æstimatæ, cum singuli boue aratore, equo & framea contenti vitam liberrimam & simplicissimam, minusque vitiis inquinatam in tuguriis suis cum vxore & liberis vixerint. Sed cum postea seipsos bello intestino inuicem inuaderent & exercerent, sedibusque mutuo pellerent, Romanis occasio præbita est, cum nonnullis eorum societatem & amicitiæ fœdera inire, quorum auxilio & ductu cæteros debellarent: quantum præstiterint Romani, aliis à nobis monumentis tradetur, nempe Palæstra Germaniæ Antiquæ cum Romanis habita: Interim Germani necessitate adacti didicerunt ferrum quærere pro armis, aurum & argentum pro salario militum, sese vestire elegantius, armare fortius, ingenium acuere & manum exercere ad artes tractandas, literas amplecti, à ruditate ad prudentiam; ab immunitis pagis ad vrbes & oppida, à casis humilibus ad arces & palatia aspirare: Ex literarum cognitione hauserunt, quid sibi vtile & necessariũ foret, quid non? quæ artes & scientiæ, quæ virtutes, qui doli, imo quæ vitia apud

alios

alios populos in mundo florerent, ita vt literæ ipsis, veluti & reliquis gentibus, quasi quædam arbor scientiæ Boni & Mali fuerint: Omnibus hisce longiori temporis vsu instructi GERMANI, *quæ contigerant, ruminare ceperunt, viresque suas meditari & aduersariorum Romanorum prouincias appetere: Hinc tot migrationes horum in illas, tot vastationes, pugnationes, occupationes, regnorum erectiones & tandem victoriæ: Gustatis iam tot malis bonisque simul, habitoque eorum discrimine ipsi* GERMANI *de* AXIOMATE IMPERII, *tanquam arcanissimo & pretiosissimo thesauro, obtinēdo consilia agitarunt, hoc est,* MENTE *conceperunt, quod* MANV *præstiterunt: Atque sic* VERVM *primum post* 800. *annorum continua bella, discrimina, velitationes & præludia Germania inuenit, quod non erat in spelunca subterrestri (vnde facile educi potuisset) sepultum vel tectum, sed in Romanorum, totius fere orbis victorum, castris & præsidiis fortissimis conclusum & longissimi temporis præscriptione possessum, ex quibus non calamis, sed hastis, non atramento, sed sanguine bellatorum id capiendum & delendum fuit: Inuento pri-*

mo

mo Vero, vsu acuente ingenia successiuis temporibus Vera quamplurima à Germanis reperta sunt; quæ quanta & qualia fuerint, hoc tractatu describere est nostri instituti; cui occasionem dedere nonnulli, qui cum legerint, antiquis Romanorum temporibus Germanos fuisse incultos & compotationibus largioribus indulsisse, adhuc pergracari & Baccho inprimis litare (qualis consuetudo praua, quæ fere in alteram naturã cessit, non cessabit, vt opinor, dum calido natiuo & sanguinis copia illi, vt & cæteri Septẽtrionales populi præ Italis & Australibus, apud quos flagitiosa Venus similiter male audit, abundabunt) non obseruarunt manticam in tergo propriam, aut trabem in oculo, in sua talpæ, in alienа vitia Lyncei, at in Germanos malitiosæ calumnias ore impuro effuderunt ac dicteria dentata, magis, quam salsa sparserũt: Quæ quidem toleranda forent, cũ vitia sint infestanda (sed intactis nationibus) nisi sese suosque vitio eximerent; cum econtra constet verum requiri, quod Poeta inquit,

Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus,

Atque eos ipsos, tanquam muscas in æstate, popinis & tabernis vinariis nunquam non ad-

hærere, nec solos gallinæ albæ filios videri. *At concedamus hoc Germanorum vitium non esse palliandum, sed maxime taxandum, ab iis tamen, qui Germanorum virtutes non ignorent aut omni silentio prætercant vel ex inuidia supprimant, sibique inde nomen & famam quærant, quod est calumniatorum, quique propria gentis vitia non celent, nec pro admirandis naturæ dotibus in cœlum attollant: Eiusmodi cauillatores, aut verius Gnathones, maneant intra suos terminos, nec dicere pergant male, nisi peius audire exoptent, nec insultent iis, quorum virtutes ne quidem adumbrare possunt, vitia autem longe superant: Inter eos quidam garrulitate metrica magis quam doctrina insignis, auræ popularis auceps, canit* GERMANOS ex vino veritatem inuenisse aut inuenturos: *quod licet ille scoptice, vt risum moueat (velut eius farinæ artifices verborum decet) adducat & interpretetur, tamen eum nolentem, volentem in genere seu plerisque (vt fatui non raro sunt vates) veritatem iis in verbis dixisse agnoscimus, hoc est,* GERMANOS *plus veri inuenisse, si rei ma-*

Ouvenus Brit. Epigr. 18. lib 1.

gnitudo & excellentia spectetur, quam reliquos totius Europæ populos, quod hoc ipso tractatu ad oculum latius demonstrabimus: Id vero nemo existimet gloriolæ alicuius captandæ gratia, aut ostentandi studio, aliosve extenuandi, sed vt veritas ex conuitiis, veluti Rosa ex spinis, prodeat & patescat, pudorque ad maleuolos pro brauio remittatur: Alibi, Germanus, *in-*
Epigr. 84. lib. 2. *quit*, mortem non bibere, esse putat: *Nec contentus hisce, Personam quoque Erasmi Roterodæ. de tota re literaria optime meriti hoc distichο inuectiuo habet ludibrio:*

Epigr. 34. lib. 2. Stultitiæ laudem scripsisti primus Erasme,
Indicat ingenium stultitia illa tua:

Quo iudicio Midæ auriculas reuera prodit, & se vel male moratum Morionem aut certe Parasitum ostendit paratissimum suis assentandi & alienis conuitiandi, qui tanto Apollini gloriam iampridem à toto fere mundo datam inuideat & diminuere studeat, dignus qui in simili delicto similem pœnam cum Marsya experiatur: Tu vero,

Can-

Candide lector, de hoc tractatu nostraque de omnibus bonis bene merendi voluntate præsertim non tam in patriam, quam veritatem amore & studio, non nisi candidissime iudicabis, cui vt nostros hosce labores, sicte Deo Opt. Max. commendamus.

Vale.

thoris.

INter quinque fuit Natas GERMANIA quondam
Europæ, impexis barbara sola comis:
Corporis at docili compensans pectore damna
Ingenii miras condidit intus opes:
Hinc illi sua mater ait; Neglecta marito
Forsan eris, formæ sors ea dira tuæ est:
Virgo perpetuos igitur remanebis in annos,
Moribus incultis namq; es & arte rudis:
Nil supereſt dotis dandæ, si nubere tentes,
Ingenio dotem tu tibi quære tuo.
Dixerat: Ergo diu mansit Germania cultu
Horrida, sed mentem sustulit inde suam;
Exacuitq; oculos Diuina PALLADOS arte,
Temporis vt natæ viderit antra Deæ;
Quæ verum docet omne, soli sub fornice tecta,
Et luci assiduo danda labore fuit.
Tandem gnaua viam multo sudore parauit,
Huic obstetrices & tulit illa manus:
Hinc ea Germanæ dos est quæsita Puellæ,
Noscere quo verum iudice Mēte queat.
Inuento pro dote Bono pulcherrima visa
Semper & est multis sollicitata procis.
Durior at nullo voluit succumbere amore
Se cupiens salua Virginitate frui.
Hinc inuicta aliis remanēs Germania, gētes
Misit in Australes occiduasque plagas:

Iussit

Iussit & has certas vbi sit fas figere sedes,
Arte quod haud possent, quærere Marte solum.
Illæ iussa parant factis explere, ruuntque
Regna per Europæ vique ea diripiunt.
Es VERI inuentrix igitur Germania, victrix
Gentibus, inuictas & geris vsque manus.
VIRGO, licet plures populos Regina tueris,
Casta mane, noceat nec tibi tristis ERIS.
Sic voueo, spes augurio neq; fallitur, oris
ALES Teutonicis vilitur, ecce, Iouis.

ALIVD EIVSDEM IN GERmaniæ vere Magnæ liuidos detrectatores.

SI quid erit magnum, quod dici possit in orbe,
Certe es, Germanis terra habitata viris.
Namque tui lato panduntur limite fines,
Et populi mira fertilitate patent.
Hinc Itali, Gallique tenent, Hunni atque Poloni,
Inde Dani cingunt, Muscouiæq; sinus:
Narua, quis ignorat, duplex diuisa quod amne
Clareat, hac Mosci, Teutonis illa sono.
Principibus non est tellus celebratior, aut qua
Nobilior surgat posteritatis honos.
Europæ cumules Heroica pectora, cunctis
Teutoniæ plures Terra dat vna Duces.
Artibus inuentis an non Germanidos ora
Præualet, ingenio res egeat ve manu?
Non munita canam turritis oppida muris
Aggeribusque, omni quæ careant numero:

Adde, quod hic magnis Rex Regibus imperet vnus,
Nomine Cæsareo qui Diadema tenet.
Libertate sua gaudent ab origine tuti,
Nec quisquam alterius de grege sceptra timet.
Ipse volens Dominum non nemo accepit, & illo
Præsidio linguam seruat, vt ante, suam.
Tanta cient stomacho fastidia bilis amara?
Ista mouent linguæ iurgia dira tuæ?
Rumpere Liuor inters proprio te viscere pascens,
Pœna nec est meritis iustior vlla tuis.

GERMANIA AD OSOREM

Authore eodem.

VT sim finitimis Germania cognita terris,
Osor, in hanc speculam, luride, scande meam.
Circũ te cupido lustrans oculo obuia mẽtis,
Glaucomam inuidiæ discute: Talpa, tuæ
Nullus adest VERI, tibi nec respectus honesti,
Atraq; ab alterius pectore laude tument.
Omne tuis tribuens studium virtutis & æqui
Gentibus; es famæ prædoq; furq; meæ.
Huc refer exuuias lingua quas dirus amara
Raptor Teutonicæ Virginitatis habes.
Tecũ ego quingentos GERMANIA prælior annos,
Roma, triumphanti nec tibi victa fui.
Nil metuo, sat tuta meis sum sẽper in armis
Hostibus aduersum figere prõpta pedem.

Nil

Nil iuuat imbelles contra me spargere chartas,
Maior enim noxis est mea fama tuis.
Prælia das linguæ pro prælis atra librorum?
Redditur inuentis gratia an illa meis?

DE GERMANIA CARMEN Gerardi Nouiomagi:

ET iure & merito Romanæ præsidet arci
Germanus mundi Victor & Imperii:
Romulus vt quondam vicit cum stirpe nepotum
Præcipuos populos, præcipuosque duces:
Fortis sic vicit Germanus fortia regna,
Germanus præstans corpore, mente, manu.
Scilicet hoc verum esse docet Burgundio victor
Gallorum, natus stemmate Teutonico.
Francus Germanus probat hoc: Normannia dulces
Ingenio probat hoc Galle superbe tuo.
Longobardus adest victorum victor, & vltro,
Germanos patres, inquit, honoro meos.
Sed priscam linguam mutaui tempore longo,
Et mores sumpsi, Tuscia docta, tuos:
Hispanusque potens gaudet iactare parentes
Germanos Gothos, Anglia Saxonios.
Quid non Germanus perfecit cuncta domando?
Subdendo sceptris regna tot ampla suis?

Petrus Bertius de Germania.

SI arma spectare libet & ancipites bellorum casus, inuicta hæc (Germania) semper fuit: Nunquam illam Græcorum exer-

citus calcauere, nunquam Romanorum aquilæ debellauere: ipsa imo diu illorum armis exercita postquam vires suas nosse cepit, & militaris disciplinæ leges, ausa est non tam tum Galliam, Italiam, Hispaniam, Pannoniam, Noricum, Vindeliciamque, sed etiam transmisso mari Britanniam & Africam bello adgredi, actandem de Imperio Romano ad se transferendo consilia agitare, alta quidem, sed tam sibi laudabiliaquam toti Christiano orbi salutaria. Recte enim mecum sentiunt prudentiores plerique, *Si ad Germanos non fuisset translatum Romani Imperii culmen, nullum futurum fuisse hodie in terris Imperium Christianorum.*

Corn. Tacitus libello de moribus Germanorum.

Centesimum & quadragesimum annum vrbs nostra agebat, quum primum Cimbrorum audita sunt arma, Cæcilio Metello & Papirio Carbone Coss. ex quo si ad alterum Imperatoris Traiani consulatum computemus, ducenti ferme & decem anni colliguntur. Postea addit: *Tamdiu Germania vincitur: Medio tam longi æui spacio multa inuicem damna. Non Samnis, non Pœni, non Hispaniæ, Galliæve, non Parthi quidem sæpius admonuere. Quippe regno Arsacis acrior Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis, quam eadem Crassi amisso & ipso Pacoro infra Ventidium dejectus Oriens obiecerit? At Germani Carbone & Cassio*

Cassio & Scauro Aurelio, & Seruilio Cepione, Mquoque Manlio fusis vel captis, quinque simul consulares exercitus populo Romano, Varum, tresque cum eo legiones etiam Cæsari abstulerunt: nec impune C. Marius *in Italia, diuus Iulius in Gallia,* Drusus *ac* Nero *&* Germanicus *in suis eos sedibus perculerunt. Mox ingentes C. Cæsaris minæ in ludibrium versæ. Inde otium: donec occasione discordiæ nostræ & ciuilium armorum, expugnatis legionum hybernis etiam Gallias affectauere: ac rursus pulsi inde, proximis temporibus triumphati magis, quam victi sunt.*

Florus lib. 4. cap. 12.

Germaniam vtinam *Augustus* vincere tanti non putasset: Magis enim turpiter amissa est, quam glorioſe acquisita.

VERI INVENTI A GERMANIS,

CAPVT I.

De Primo vero Vniuersali, Politico.

Primum Verum à Germanis inuentum, esse translationem Imperij Romani ad sese per Carolum Magnum Franco-Germanum, non dono Papæ, cuius non erat, sed iure belli, transactione facta cum Orientalibus Imperatoribus, demonstratur.

VERVM Metaphysici idem esse tradunt cum ENTE, VNO ET BONO, idq; non sine ratione: Quod enim existit in rerum natura, id verum

rum est, & quod verum, id existit; vt e contra falsum & fictum seu non Ens in albo Naturæ non inuenitur notatum, nec in tota Vniuersitate quid reale apparet, nisi saltem in hominum imaginatione, oratione & scriptione, quæ tria tam veri, quam falsi sunt capacia: Vnum autem cum vero congruere patet, quia hoc est simplicissimum, nec varium aut multiplex, falsum contra diuersum, secum pugnans, inconueniens & coloratum: Sic & bonum verum est, & vice versa, quia bona sunt creata & data à DEO, atque ideo vera, mala per se ita dicta, nõ ex creatis vel datis bonis, sed aliunde aduenium, nec sunt substantiæ, vt illa: Ignorantia est ex malis, & scientia seu cognitio est bonorum, hoc est, Entium & verorum: Nihilominus sunt bona, quæ in ipso vsu incognita (vnde illud, *Fælices ô agricolas, sua si bona norint*) vt & mala existunt, quorum quoque nonnulla à Iureconsultis dicuntur necessaria in Republ. & toleranda (vt sunt vsuræ & lupanaria) non per se, sed secun-

dum

dum quid: Latent insuper tam bona quam mala, quæ nondum innotuerũt nec in vsu sunt, sed hominum indagatione & ingenij subtilitate inuenta innotescere, inque Experientiam duci possunt. De bonis hic nobis (non de malis) sermo est, sed DE VERIS & Entibus, quæ quo sunt vtiliora humano generi, eo sunt magis abdita in profundo & difficilia inuentu; non quasi Natura inuiderit eorum vsum hominibus, sed vt ingenia eorum excitaret & acueret ad ea inquirenda & reperienda, quæ labore magno (quo Dij immortales, vt Ethnici dicebant, sua bona vendunt Mortalibus) tandem reperta primus inuentor & possessor in precio teneret, nec prophanaret aut immeritis secum communia faceret: Eiusmodi *VERA* & *BONA* sunt quam plurima, alia vniuersalia, quæ vel toti mundo in vniuersum, vel orbi Christiano, aliisque regnis & populis ex æquo vtilissima existũt adeo, vt mutationem quandam ibi effecerint; alia particularia, quæ non tam late propagantur

tur, quam priora, minusque vtilia habentur, aut quibus & alia regna quid simile & parallelum habere possunt: *BONVM seu VERVM vniuersale*, omnium excellentissimum est *AXIOMA* seu inæstimabilis Dignitas Imperij Romani, quod quidem ante octingentos annos non fuit occultum penitus, nec quasi orbi ignotum, sed multis modis in occidentalibus regnis, populorum Germanicorum variis incursionibus & vastationibus interruptum & debilitatum: Hoc iterum in Statum potentissimum erigere, sibique proxima regna non tam Tyrannide Ethnica, quam clementia Christiana subiicere dū affectant alii atque alii, nempe Græci, Itali, *Gothi, Longobardi* & his similis, *Franci Germanici*, qui Galliam iam pridem subiugarant & reliquæ Germaniæ vires sibi coniunctas habebant, id omnibus præripuerunt, sibiq; appropriarunt, *Carolo illo Magno, Pipini* filio, primo Imperatore *Romano* facto, Romæque coronato & vncto, anno à Christi natiuitate 801. Quod licet certum

tum sit ipso facto, & ab omnibus, vt verissimum, accipiatur, tamen cum de persona tradente, quam Papam, accipiente, quam Francicam, non Germanicam, & transigente, quam fœminam *Hierenem* Imperatricem Constantinopolitanam tradunt, diuersimodi dubitetur, statuimus hoc capite illud *Primum VERVM* à Germanis inuētum, dubiis præcipuis remotis, stabilire & demonstrationibus firmissimis asserere: Sunt, qui Papæ seu Episcopi Romani potestatem & præeminentiam præ aliis non solum Episcopis totius orbis Christiani, sed etiam Regibus & Principibus, tam in secularibus, quam Ecclesiasticis rebus, attollant & confirmēt ducti saltem cæco fauoris in eam, vel odii in hanc religionem impetu adeo, vt affirmare audeant, in Romani Pontificis manu & nutu fuisse Imperium Romæ politicum, atque inde quādam largitione & liberalitate in *Carolum Magnum* translatum, eiusque successores in hodiernum diem propagatum esse: Quod detestandum

opi-

opinionis falsissimę monstrum vt defendant, adducunt & scripturas sacras & historias prophanas, suo proposito inseruire visas, at præpostere & coacte, ne dicam, falsò: Duo enim gladii *Petri*, & Constantinianæ donationes fictæ, nil tale probãt, quod Exemplum & vita Christi, eiusq; Apostolorum, è directo refutant & reipsa, imo & lucidissimis dictorum testimoniis refellunt: At de hisce ab aliis satis disquisitum est, quo circa iis omissis, simpliciter hic statuimus, quod ille, qui Romano Põtifici quid potestatis in *Imperium Romanũ* ad *Carolum Magnum* translatum asscripserit, non solum omni rationi, experientiæ & æquitati reclamet & aduersetur, sed quoque peccet in Deum, Imperiorum & Regnorum distributorem & largitorem (qui transfert regna de gente ad gentem propter eius peccata & iniquitatem) nec non IVRA Maiestatis humanæ: Cum enim *Desiderius* Longobardorum rex Imperium in Italia affectaret & tumultus varios idcirco moueret, LEO

3. pon-

3. pontifex desperatis rebus suis ad *Carolum Magnum Francorum* regem in Germaniam profugit, petiitque ab eo, tanquam potentissimo Christiani orbis tum principe præsidium & tutelam: Si hoc ita se habet, vt est verissimum, Quomodo miser & afflictus Papa, id, quod non possedit vnquam aut possidere potuit, dedisset Regi potentiori, qui iure belli, quo omnes controuersiæ & dubia diuinitus decidi & Regna parari solent, vsus nolentibus vel volentibus, tam hostibus, quam amicis, Imperium illud occupauit & obtinuit? Nemo plus in alium trãsferre potest, quam ipse bono titulo iuris habeat: Nec ille, qui exercitum validissimũ secum ducit & ad manum nutumque regit, opus habet, vt à se defendere non valente quid precario accipiat: Si Papa *Desiderium* Longobardum suis propriis viribus debellasset, totumque eius Regnum ad se transtulisset, forte iure donationis (non possessionis, politicæ, quæ ad personam Ecclesiasticam nõ spectat) idem Carolo Magno

gno subiicere potuisset, alias, Si ipse Carolus id quærere armis primo iubeatur vel moneatur, stulta & superuacanea illa censenda est donatio: Hoc enim pacto Phrenitici & Maniaci regna distribuunt aliis aliena, vel sibi assignant cum risu audientium: Idem de Imperio Romano sentiendum est, quod nec Papa, nec populus Romanus tum in possessione habuit, veluti palma, in medio omnium potentium relictum absq; præsidiis, multorũ aucupiis expositum, à tot populis victoribus direptum & laceratum in Occidente, nec ab Orientalibus Imperatoribus satis defensum aut munitum: Hoc non nisi armata manus Regis inuicti inuadere & sibi subiicere potuit, quæ hostes rebelles sua vi primo coerceret, hoc est, appetentes id suis viribus maius seu iniquum *Desiderii* desiderium reprimeret, imbecilliores que ius in illud prætendentes Constantinopolitanos, nec tamen tutari valentes, floccifaceret & potentia longe superaret: Tantus vero Rex tum *Carolus*

Magnus solummodo extitit, qui *Galliam* omnem & Germaniam, quam totam Romani nunquam sibi subiecerãt, possedit, Regna latissima, populosa & potẽtissima, quibus melior Italiæ pars, Lombardia dicta accessit: Non illi resistere potuit altera eiusdem Italiæ pars, inermis, à nullo Rege defensa, Roma toties vastata à barbarorum incursionibus; Cuius, papæ *Leonis* precibus & admonitionibus ipse patrocinium non solum, sed quoq; Imperium, Romanum inde dictũ, suscepit, Antiquo-nouum instituit, inauguratione Coronationis facta, ab Episcopo Romano, vt decuit: ita Episcopus *LEO* nihil dedit Imperatori *Carolo Magno*, sed ex officio suo eum coronauit & proclamauit, veluti præco, Romanum Cæsarem, non vt Cæsar successorem: Quid enim daret excussus? inquit Bertius; & excussus nõ imperio (nam illud non ipse, non ipsius maiores habuerunt) sed sede Episcopali? Si Episcopatum petiisset *Carolus*, potuisset eum conferre *Leo*: nunc cum de Imperiali

periali dignitate agitur, dicemusne eam potuisse dari ab illo, qui reb. secularibus renunciauit? Iam populus Romanus non fecit Imperatorem *Carolum*, sed agnouit, agnitumq; per Episcopum suum coronari iussit. *Romani*, inquit Sigebertus, *vno omnium consensu Carolo regi Imperatoris laudes acclamant, eumque per manum Leonis papæ coronant*: Hæc ille: Abusus est verbi non tolerandus, si dicatur, qui ratione officij, Regi coronã imponit, eam dare cum regno non suo: Sartor non dat illi vestem, cui induit, nec aurifaber annulos, quos digitis imponit: Aliud est feudum recipere à Domino feudi, aliud ceremonialem ritum ab alio: Supra summũ in humanis principem non est superior, nisi Deus, à quo dantur regna & Imperia, non ab inferioribus nihil iurisin ea habentibus: Apud antiquos Romanus Imperator decernebatur vel ex iure successionis, vel armis militum prævalentium siue Legionum, siue Prætorianorum, non sine largitionibus vel donationibus liberalioribus in

eos effusis, vnde Romani ciues non elegerunt principem, sed ab armatis electum aut proclamatum agnoscere etiam tum coacti sunt, cum maxime antiquum Imperium esset in flore, veluti ex historiis patet: Adhæc *lege Regia* omnis populi potestas in poliricis *vni Regi vel Imperatori* cessit in perpetuum, eaque se plebs Romana omnino abdicauit: Imo quod volens fecit, si recusasset, absque dubio nolens facere coacta foret, cum inter arma leges sileant, eaque has figant & refigant & Ius capulare, quod (inuersum IVS) vis dicitur, statuant: Iacuit vero eo tempore omnis virtus antiqua, & Roma tum ter triumphata fuerat à diuersis populis vi capta, quæ toties de aliis gentibus deuictis triũphauerat, experta in sese id mali, quod vicinis & remotis fere omnibus intulerat; Vnde nec caput erigere valuit, nec sua ope vt olim, quẽquam iuuare, multo minus sibi regem eligere; A Deo vero electum & ordinatum, potentiaque propria sese offerẽtem suscipere & agnoscere, eius quo-

quoque (nimirum Romæ) afflictissimæ & miserrimæ fuit: Ad patiendum enim quo quid minus validũ, eo magis habile existit econtra ad agendum: Papæ itaque & Romæ proprium fuit, pati *Carolum* Imperatorem, eiusque mandata exequi, *Caroli* vero agere, iisque mandare: Mandant enim Reges, non orant aut preces miscent præceptis, rationem voluntate, si tempori, loco aut personæ indulgẽdum sit: Vbi necessitas legem ponit, ibi non respicitur volentis arbitrium: Quod est calcar equo, id sunt Principis arma subiectis; si hi sunt morigeri, nulla vi premuntur, si non, hic vnguis est in oculo, & vis vi retũditur: *Romani* itaque fecerunt, quod debuerunt de iure & non nisi iniuria præterire potuerunt, idq, volentes, vt protegerentur à tanto Rege contra aliarum gentium incursiones, & de suo nomine Antiquo-nouum *Imperium Romanum*, vt ante, appellaretur. Verum instant *Franci* vel *Itali*, dicentes, illud à quocunque datum sit Imperium, à *Francis*, & non *Germanis*,

acceptum esse: Respondeo, hoc scitum est, *Galliam* non occupasse *Germaniã*, nec Gallos debellasse aliquos *Germaniæ* populos, sed contra *Germanos* centies transiliisse limitem antiqui Romani Imperij Rhenum & inuasisse terras Romanorum transrhenanas tanto studio & conatu vt sæpe numero inde profligati & victi ad suos redire, sedesque occupatas relinquere valida manu Romanorum coacti sint; Hæc inuasio & deprædatio durauit per ducentos & amplius, annos à Cymbrorum primo motu in *Galliam & Italiam* facto: Romanis hinc dominij in *Germaniam* consequendi magis magisque appetentibus, confluxerunt *Germanicæ* gentes libertatis patriæ vindices & conseruatrices, ad repellendũ Romanum iugum à ceruicibus suis promptæ, animatæ & armatæ, quæ communi vocabulo se *Francos*, hoc est, liberos & indomitos vocitarunt: Cum his multum negotij illis extitit: Etsi enim multa millia Francorum passim cæsa sint à diuersis Imperatoribus in Gallia, aliisque locis,

locis, tamen prævalente eorum numero & potentia, tandē *Galliam* subegerunt, *Romanorum* præsidiis expugnatis, regnumq; ibi potentissimum erexerunt: Quod factum est ad *Rhenum* à *Francis*, idem in *Rhætia & Norico* ab *Alemannis* & *Longobardis*, vtrobique à *Gothis*, *Vandalis*, *Normannis*, & aliis Germaniæ Magnæ populis tentatum legimus: Depulsis enim limite Imperij præsidiis Romanis, castrisque ipsorum omnibus per Attilam, Francos & Alemannos, subuersis, nihil obstitit, quo minús trāsmisso Danubio & Rheno, Germani prouincias inuaderent Romanorum. Iacuit aliquamdiu desertus vterq; Imperii limes, victoribus populis in ipsam quoq; Imperii sedem, Italiam, summo ardore grassantibus, donec tandem fatigato potius, quam cohibito impetu fixere ipsi in limitibus sedes & tanquam in vacuo solo vel nouas vrbes condidere vel destructas à se restaurauere, notis etiam, vbi id visum fuit, nominibus impositis. Duo autem inprimis populi Ger-

manorum hic de imperio constituendo & obtinendo ingentib. statim animis certauerunt, *Franci* & *Alemanni*. quibus, quam diu à Romanis oppugnabantur, Mœno amne disiunctis, facile fuit, pacem inter se amicitiamque colere: Pulsa ea formidine, impatiens consortis ambitio in mutua ipsos arma compulit. *Alemanni* igitur secundis rebus elati, vires suas ex eorum potius, quos hactenus oppugnarunt, imbecillitate, quam ex *Francorum* virtute, metientes, non contenti Germaniæ parte ea, quam à Mœno vsq; ad Danubium & Rheni fontes cum Sequanorum agri magna parte ac Valle Pænina & Rhetia, possidebant, ipsum quoque Galliarum imperium adfectarunt: Sed obstabant *Franci*, qui Rhenum post Burgundiones transgressi, superata inferiore Germania, sedes iampridem fixerant in *Gallia*. Hos igitur armis adoriri cõsilium *Alemannis* fuit. Conscripto ergo ingẽti exercitu progressi sunt vsque ad Coloniam Agrippinensem: *Chlodouæus Francorũ* rex consilio

filio ipsorum, neque enim cælari potuit, cognito, ad *Tolbiacum* cum copiis occurrit: Erat eo tempore adhuc Idololatra *Chlodouæus*, neq; salutari veritate satis clara, flecti se passus fuerat ad obsequium DEO præstandũ, licet multis admodum *Gothildis*, vxoris suæ, genere *Burgundiacæ*, precibus ad eam rem inuitaretur, propriaque ipsum conscientia etiam eo impelleret: Sed cum flagrante pugna aciem suam videret inclinare, neque eius sustinendæ humanam vllam rationem respiceret, tum vero oculis in cœlum sublatis, lachrymabundus, *Christe bone*, inquit, *bellorum potens, stator & conseruator Imperiorum, voueo spondeoque, me sacra tua, quæ hactenus respui, susceptum, & meo populo veræ pietatis exemplo & legibus præiturum, si tu, qui solus vincis, solus imperas, solus regnum donas, victoriam mihi de Alemannis concesseris, meque huic periculo exemeris.* Adfuit inuocanti *Christus*: Vix enim completa fuit oratio, quum repente *Alemanni*, tanquam cœlo tacti terga dedere & victoriam, quam iam prope in mani-

bus habebant, *Francis* concessere. *Chlodouæus* voti ratus haud multo post *Remigio* doctore religionē Christianam capessit: Periit autem eo die cum Rege vniuersa gloria *Alemannorum* neq; multo tempore *Alemanni* præter cōmune nomen quicquam in Germania possederunt. Victores enim *Franci* nō ante quieuere, quam sub suam potestatem *Gallias Germaniasq;* omnem redegissent. *Chlodouæus* certe victorię illius vsus oportunitate, traiecto Rheno, omnem, quam late patebat, *Alemanniam* peruasit, ab ostio *Mœni* vsque ad Sueuiam, atque inde porro etiam vltra *Danubium*, occupata Rhætia cum Nigra sylua & lacu *Brigantino*, *Algoia* & parte ea Heluetiæ, quæ est inter Rhenum & Vrsam amnes, omnique tractu Rauracensi & Elcebensi, qui nunc Basiliensibus & Argentinensibus paret, regnumque Alemanniæ in ducatum vertit: Habuit ergo sub Imperio vniuersum Rheni tractum à fontibus eius vsque ad Oceanum cum terris omnibus in ripa Gallica sitis quæ *Francię*

cię Teutonicæ deputabantur. In Germania vero transrhenana ditionem omnem, quam ad ea vsque tempora possederant Germani, ac præterea Franciam Orientalem, siue Austrasiam & Thuringiam: Hoc ille imperium ad posteros suos transmisit cum Francia occidētali quæ à mundi plaga Neustria, à sermone Romania dicebatur: Victi vero *Alemanni* quum grauius premerentur à *Chlodouæo*, alij superatis Alpibus in Italiam ad Ostrogothorum regem *Theodoricum* generum *Chlodouæi* profugere, alij Francis in seruitutem cessere: Theodoricus legationem misit ad *Chlodouæum*, vna cum Epistola, qua intercedit pro victis Alemannis, ne durius habeantur: Perstitit nihilo secius in proposito *Chlodouæus*, omnesque *Alemannos*, quod id rebus suis ita cōducere existimaret, pro seruis habuit: Ita ergo introducta est in Germaniam seruitus, res superioribus seculis inaudita, sicut ex *Cæsare & Tacito* cōstat: Hęc igitur Francorū regni fuere primordia: Ex quibus manifestum est *Fran-*

cos Germanos non solum subegisse Galliam, sed quoque maiorem Germaniæ partem: A *Francis Alemanni* ad fidem perducti sunt, amissa simul & viuendi & credendi libertate: Ab iisdem *Thuringi, Boioarii, Saxones, Sclauini, Nortmanni* edocti impietatem & profanitatem idolorum abiecerunt: Postremum vero *Catti* quoque & *Frisii* (pertinaces enim isti præ cæteris fuere) religionem receperunt: Præterea maiores *Caroli Magni* fuere Germani, atque ipse in Germania, nempe *Ingelheimii*, duobus milliarib. Moguntia distantis, natus est patre Pipino, nano, rege Francorum primo ex Maiorib. domus huius familiæ: Fuit sub regibus Francorum Merouingiis magna præfectorum prætorio, quos palatij magistros & maiores domus vocabant, potestas: Hi enim summæ rei præerant & specie fulciendæ authoritatis Regiæ, negocia omnia ciuilia & bellica administrabant: Stetit autē munus illud diu admodum in maioribus *Caroli Magni: Arnulphus* dux Brabantinus & Maior domus Fran-

Francię fuit, qui ſeculo abrenuncia-
uit & Epiſcopus Metenſis factus fili-
um reliquit *Angiſum*, qui & ipſe maior
domus, genuit *Pipinum* groſſum; pa-
trem *Caroli Martelli*; auum *Pipini*, na-
ni proauum *Caroli Magni*: *Otto Friſin-
genſis* de his ita ſcribit: *Diebus Conſtan-
tini Conſtantis filii, B. Arnulpho, qui Maior
domus fuerat, ſeculo abrenuncianti, poſtmo-
dumque in eccleſia Metenſi pontifice facto,
Angiſus filius principatum maioris domus
tenuit.* Et mox: *Sub Iuſtiniano Conſtanti-
ni filio Pipinus filius Angiſi maior domus ef-
fectus regnum Francorum adminiſtrauit,
cuius anni in catalogo regum deinceps anno-
tantur: Reges enim ex hinc omnibus regni
negotiis & honore nudati, ſolo nomine re-
gnabant: Maiores vero domus curam re-
gni habebant.* Et poſtea: *Diebus Anaſta-
ſii Imperatoris Dagobertus moritur rex
Francorum*: Pipino quoq; Maiore do-
mus mortuo Carolus (Martellus) fi-
lius eius regnum Francorum per 27.
annos, regibus adhuc, ſed ſine hono-
re ac vtilitate manentibus, adminiſ-
trauit. Hic magni *Caroli* auus, *Re-
ginfredum* regnum inuadere volẽtem
multis

multis ac grauibus bellis preſſit, ac ad vltimum relicta ſibi tãtum ad habitandum Andegauenſium ciuitate, regno coercuit. Detentus fuerat hic Carolus (Martellus) Coloniæ in carcere à *Pletrude* nouerca, Pipini patris vidua, ſed elapſus præfecturam palatij à *Reginfredo* occupatam armis repetiit. Is etiam victis *Baioariis* *Alemanniam* quoque, quam *Sueuiam* dicunt, cum *Lanfrido* duce eorum ſubiugauit: *Gaſconiam* cum *Eudone Aquitanorum* duce deuicit: In *Saxonia* ac Friſia fortia bella geſſit, &c. Mortuus eſt *Carolus Martellus* anno ab incarnatione Dom. 742. pace & quiete regno Francorum per eum reddita ad tempus, Gothis ſuperatis, Saxonibus & Freſonibus ſubactis, expulſis Saracenis, Prouincialibus receptis, vt ſcribit Pytheus in Annalibus: Quomodo vero Caroli Martelli filius, Pipinus rex Franciæ factus ſit, tradit idẽ Otto Friſingenſis his verbis: *Anno ab incarnatione Domini 751. quum regibus Francorum ſolo nomine regnantibus maiores domus omnem regni cu-*

ram

ram administrarent, Pipinus, qui hanc dignitatem per successionem acceperat, Burchardum Herbipolensem Episcopum & Fulradum Capellanum suum ad Zachariam Pontificem scisitandi gratia misit: Pontifex ergo melius esse, vt ille, qui curam omnium haberet, rex diceretur, quam qui solum nomen regis gereret, remandauit. Eo tempore Hildericus, ex antiquorum Francorum regum, qui à Merouco Clodii filio, Merouingi dicebantur, sanguine descenderat, inane regium nomen tenebat: Igitur anno ab Incarnationr Domini 752, reuersis à Roma nũciis authoritate Zachariæ Papæ, Pipinus à B. Bonifacio Moguntino Archiepiscopo, aliisque regni principibus in Suessona ciuitate ad regnum eligitur: Anno 754. *Pipinus* à *Stephano* Papa primo à fidelitatis sacramento, quod *Hildrico* promiserat, cum aliis regni *Francorum* primoribus absoluitur, ac detruso *Hilderico* in monasterium, postmodum in regem vngitur. Hic *Merouingiorum* regno finito, *Carolingorum* cœpit: Anno ab Incarnatione Domini 755. *Pipinus* rex rogatu *Stephani* Papæ contra *Aistulphum Longobardorum* regem mouit:

Anno

Anno sequenti cum *Aistulfus* ea quæ laudauerat, irrita faceret, *Pipinus* eũ denuo Papiæ obsessum promissa im-
A.C. 767. plere compulit. Obiit anno, ex quo in regem vnctus est, 14. ex quo vero principari post mortem patris cœperat, 26. duos relinquens filios, *Carolum & Carolomannum*: Anno ab Incarnatione Domini 779. imperante adhuc *Constantino Carolus* (Magnus) diuiso cum fratre regno regnare cepit: Sequenti anno *Carolus* in Wormacia generalem curiam celebrãs, orationis causa limina Apostolorum visitare disposuit: Tertio regni sui anno *Carolomanno* fratre suo mortuo, vxoreque illius cum filiis ad *Desiderium* Longobardorum regem fugiente, *Carolus* solus regnans cum exercitu Saxoniam ingreditur. Vetuit nimirum *Carolus*, ne patris sui hereditatem (quæ erat Austria cũ gentibus Transrhenanis) adirent liberi, ipse monarchiam animo meditans: nec defuerunt in Italia, qui quod Longobardis male vellent, hanc ipsos subuertendi occasionem aptissimam iudicarẽt:

Du-

Duxerat autem *Carolus Hermingardin Desiderii* Longobardorum regis filiam vxorem, obstante licet Stephano Papa, quod minus bene vellet Desiderio; sed eam *Carolus* fractus pōtificis importunis legationibus, tādem (nempe anno 772.) dimisit. Ita ad *Carolum* solum tot regna deuoluta sunt, quæ ille florens æui (vix enim annum expleuerat ætatis vigesimū) & viribus pollens ex eo auxit & ad posteros transmisit. Nullus itaque Francos, nec eorum reges, præsertim Carolingios, Germanos fuisse denegare poterit, nisi forte impudentissimus: Quod si ita est, satis apparet, Imperium à *Carolo Magno* occupatum fuisse & prima origine Francorum Germanorum, ac postea solis Germanis Transrhenanis remansisse: *Carolus* autem vt in Germania, velut dictum, natus est, sic liberis suis Germanica nomina imposuit, ipseque Germanice loquutus vernacula lingua (Altfränckisch) & in ipsa Germania Aquisgrani sepultus est. Ad trās-actionem *Caroli Magni* Imperatoris

in Occidente facti cum Imperatoribus Constantinopolitanis quod spectat parum dicendum erit: Etsi ius armorum & belli tantæ est potestatis & efficaciæ, vt nulla indigeat trãsactione, tamen *Carolus Magnus* Imperator factus cum Hierene Imperatrice tum apud Orientales dominante legatis missis pacifice egit, vt ipse Occidentale Imperium etiam eius & successorũ consensu obtinuerit: Fuit enim *Carolus Magnus* nepos *Heraclii* Constantinopolitani Cæsaris ex filia *Bertha*; Cum eo *Hierene* non solum fœdus iniit, sed etiam petiit filio suo ipsius filiam coniugem: Filium tamen post & imperio & oculis priuãs ipsa imperiũ occupauit: *Carolus Magnus* quoque eius expetiuit nuptias, quas Aëtius Spado impediuit. Anno autem regni sui 33. salutis nostræ 801. *Leonis* Tertij pontificis vindicaturus iniuriam, tertio ingressus est Italiam ac Romã veniens in die Natalis Saluatoris in templo à Pontifice coronatus Imperator & Augustus ab vniuerso populo Roman. pronunciatus

est,

est, vnctusque, abolito patritij nomine, quo prius vtebatur, Imperator appellatus est. *HOC EST Primum Verum Germanis inuentũ*, quod licet *Francis* attribuatur, nunc ab Imperio separatis, tamen reuera Germanis debetur, Francis tum quoque Germanis existentibus, qui nunc ob regum sequentium regnorum diuisionem, linguæque mutationem & diuersitatem ab Imperio, quod apud Germanos primario remansit, segregati sunt: Hoc est Verum à Germanis inuentum in Politicis optimum, in orbe maximum, cuius possessio quod apud Germanos huc vsque continuata sit, non exiguam vicinis regnis cõmoditatem præstitit: Ne vero dubium aliquod de Imperij ipsius translatione à Francis ad Germanos Trãsrhenanos relinquatur, aut eius Dignitas in minori habeatur respectu, duobus proxime sequentibus Capitibus hæc bina dilucidanda proponemus, vt non satis sit scire, VERVM in politicis summum Germanos inuenisse, sed etiam constet, quib. me-

diis id apud eosdem conseruatum & ad posteros propagatum sit: Nam, vt vulgo dicitur, *Non minor est virtus, quã quærere, parta tueri,* quod patet in nonnullis vicinis Regibus, qui nouere quidem alia regna occupare, sed occupata retinere ac conseruare consilio vel armis non valuerunt: Deinde huius VERI magnitudinem & necessitatem, nec non vtilitatem considerabimus, si nõ quanta res est postulat, tamen quoad locus & occasio temporis admittit & requirit.

CAPVT II.

Caroli Magni stirpe masculæ extincta, cum sæpe Itali Franciq; imperium Romanũ ad se transferre conarentur, qua vi animi & corporis ab Ottonibus Saxonibus, & aliis Imperatoribus apud solos Germanos reseruatum sit, apud quos ex Diuina

uina prouidentia huc vſque continuatum perdurauit.

SVſcepto à Carolo Magno Imperio Romano, perque quatuordecim annos laudabiliter gesto ac confirmato, ipse decessit septuagenarius, anno D. 814. filium relinquens *Ludoicum Pium* dictum, quod religioni Christianæ, cuius fuit studiosissimus, multũ detulerit ac mitissimi ingenij & morum manſuetudine cunctis amabilis extiterit, post Imperatorem factum, *Pipino* eius fratre Italiæ rege ante mortuo; cuius ille filium *Bernhardum*, regem ab auo appellatum *Aquisgrani* & in locum patris sui substitutum Ann. Dom. 813. à Leone III. papa coronatum, abdicare Imperium coegit, nec multo post res nouas molientem capitali pœna affecit: inque authores rerum nouarum mitius egit, quos inclusos cœnobiis vita donauit, (absq; vlla impietatis nota) *Ludouicum Pium* in imperio sequutus est filius *Lotharius*, qui à fratribus ad Fontaniacum victus sub finem vitæ factus est mo-

nachus: Huic succeſſit filius *Lodoicus* II. poſt quem *Lotharii* frater *Carolus* II. *Caluus*, Imperator: Dehinc huius filius *Ludoicus* III. balbus: Poſt Ludoici II. frater Carolus III. Craſſus: Poſt hunc fratris eius *Carolomanni* ex concubina filius Arnolphus, cui filius *Ludoicus* IV. deinde ſucceſſit, habens vxorem Mathildin *Henrici* Aucupis ſororem; ſororem vero *Lutgardin*, nuptam Ottoni duci Saxoniæ, Henrici Aucupis patri, huius matrē: Poſt *Ludoicum* IV. fratris eius Conradi, ducis Franconiæ filius, *Conradus* I. rex Franciæ orientalis & Imperator vltimus gentis Carolinæ ſequutus eſt: Atque hæc eſt ſeries Imperatorum à Carolo Magno per maſculam lineam deſcendentium. Poſt obitum Ludoici IV. *Otto* Saxoniæ Imperij habenas, ætatem cauſatus, detrectauit, deſignato iſto Conrado: *Conradus* Imperator itaque electus cum Henrico Saxone, Ottonis filio, quì ſe poſthabitū indignabatur, bella geſſit; Nihilominus tandem moriturus, cōuocatis Imperij proceribus

ad

ad hostem suum, deposita simultate, Imperij ornamenta, coronam & sceptrum deferri iussit, cũ circumstantiũ stupore, A. C. 919. Imperij 7. *Eberhardus* itaque *Conradi* defuncti frater ea Insignia Imperialia ad Henricum aucupio tunc forte intẽtum de procerum sententia detulit, qui diu renuens, tandem honorem admisit, ita tamen, vt neque à Romano pontifice inungi, neq; ab vllo Episcopo coronari vellet: Strenuus admodum fuit, armis & consilio promptus Henricus, Saxoniæ dux: Non enim putauerunt Germani decorũ sibi in tanta virorum fortium multitudine, Caroli Magni posteris deficientibus, qui & ipsi Germani origine erant, petere Imperatorem aliunde, quam ex Germania: Quod cum partim Itali, partim Galli ægre ferrent ac subinde res nouas tentarent, à sequentibus Imperatoribus Saxonibus oppugnati & victi sunt: Henricus Auceps Arnoldum se infestis armis imperio opponẽtem colloquio sedauit: Lotharingiæ terram Germaniæ regno re-

ſtituit & multas alias victorias de Burchardo Alemanniæ duce, Slauis, Dalmatis, Bohemis, Normannis, Danis, Obotritis, Henetis fœliciſſime victis reportauit: Huic Otho Magnus, ob res magnas geſtas dictus, filius ſucceſſit; qui in initio ſui Imperij tumultus plenos periculi exortos compeſcuit: Eberhardus enim Palatinus, comes Franconiæ, & Giſelbertus dux Lotharingię, quod ex poſteritate Caroli & Frãcorum eſſent, contendebant ſucceſſionis iure, Imperium à Saxonibus ad Francos deriuari, & Henricum fratrem, Othonis maiorem natu, eo prętextu; quod ætatis nomine ipſi deberetur adminiſtratio Imperij, ad ſe pertrahebãt, euocato etiam Ludoici Francorum regis è Gallia auxilio: Grauiſſimum hoc fuit bellum, & plurimæ in eo pugnæ commiſſæ: In vltimo tamen cõflictu apud Andernacum Eberhardus Palatinus occubuit & dux Giſelbertus inter fugiendum in Rheno ſubmerſus eſt: Henricum fratrem Marsburgi obſidione cinxit Otho, qui

quividens conatus ſuos irritos eſſe& debilitari ſua præſidia, ad Othonem ſupplex venit, delicti orans veniam, à quo ſuſceptus & nõ multo poſt Ducatu Bauarico donatus eſt: Hugonẽ Capetum, qui Ludoico regi multorum malorum cauſa fuerat, minitãtem ſe Imperij axioma ad Francos relaturum, totq; armatos milites in Germaniam adducturum, quot ibi eſſent pilei ſtraminei, exercitu validiſſimo cuius ſinguli milites ſtramineum geſtarent pileum, Pariſiis obſedit & coegit, vti pro ſe ſuiſque ſucceſſoribus ſacroſancte adfirmaret, ſe nunquam quid tentaturos de Imperio Romano à Germanis ad ſe transferendo. Ab Italis quoties Imperium affectatum ſit patet ex variis eorum tyrannis, qui à tempore Caroli Calui ad Othonis I. Saxonis tempora in Italia regnarũt, quorum primus fuit Berengarius: Erat autem Berengarius filius I. Eberhardi Ducis, Roma oriundus, è ſtirpe Longobardorum regum, vir magnanimus & militaris diſciplinæ non ignarus, à Carolo

Caluo princeps Italiæ & Dux Foroiulienſium creatus cũ Guidone Spoletinorum Duce. Hi duo autem dum in gratia & authoritate Caroli Calui eſſent, magnis collectis opibus, Carolo Craſſo, animo & corpore deficiente, inter ſe conſpirarunt, rerumque potiundarum inter ſe conſilium inierunt, placuitque, vt Berengarius in Italia, Guido in Francia, nomen Imperij inuaderẽt: Guido vero mox fracto iuramento & repulſa confœderatione, Italiæ regnum affectare cœpit, collectoque magno exercitu, Italiam ingreſſus, Berengarium commiſſo prælio vicit atq; fugauit: Quõ rurſus Berengarius, Arnolpho in auxilium vocato, fugientem perſecutus eſt, ac rurſus variante fortuna Guido Arnolphum inſecutus, iuxta fluuium Tarum mortuus eſt: Berengarius itaq; ſolus tota Italia potitus eſt: Fuerat autem Guido Lamberti
A. C. 894. filius, ex duce Spoletano rex Italiæ ab Italicis principibus contra Berengarium appellatus Papiæ anno Domini natiuitatis 888. & regnauit annos

nos 6. consecratus & coronatus Imperator Romæ ad S. Petrum à papa Stephano V. An. D. 891. Huius filius Lambertus post cũ rex Italię à patre appellatus est Papiæ, An. D. 892. qui regnauit & imperauit annos 8. cum patre annos 3. consecratus & coronatus à Formoso papa, Romæ in Basilica S. Petri, An. Nat. D. statim post patris obitum: Imperauit solus post patris mortẽ, annos plus minus quinque: Obiit Ann. 899. Ludoicus Imp. Italiæ, Bosonis regis Prouincię filius, Ludoici iunioris Imperatoris ex filio Hermingarda nepos, rex appellatus Ticini contra Berengarium ab Italicis principibus, Anno Dom. 899. Regnauit & imperauit in Italia contra Berengarium, annos 5. regnauit annos 3. Consecratus & coronatus Imperator Romæ in Basilica S. Petri à papa Benedicto IV. Ann. Dom. 901. Imperauit annos 3. coactus à Berengario Veronæ abdicauit, oculisq; & regno priuatus est. Rudolphus Conradi filius, Hugonis Abbatis nepos, regnare cœpit in Burgundia contra Ar-

Arnolphum Imp. An. Dom. 888. post obitum Caroli Imper. 3. regnauit in Burgundia & Italia annos plus minus 50. In Italia rex appellatus contra Berengarium à principib. Italiæ, An. Dom. 922. post obitum Ludoici IV. Regnauit annos plus minus 4. Abdicauit regnum Italiæ sponte, A. Dom. 926. Obiit rex Burgundiæ in Burgundia Ann. Dom. 938. Hugo ex comite Arelatensi in Prouincia rex appellatus Papiæ à principibus Italię contra Rudolphum regem A. Dom. 926. Regnauit annos 20. in Italia, solus 5. cum filio Lothario 15. Obiit in Prouincia: An. Dom. 946. Arnoldus dux Baioariæ & Carantenorum, regnum Italiæ inuadere volens, Veronam vsque contra Hugonem venit, à quo prælio victus, Italia exactus est Ann. Dom. 932. Lotarius Hugonis filius rex à patre appellatus Ticini A. Dom. 932. regnauit annos 18. & menses aliquot in Italia, cum patre 15. solus annos 4. Obiit in Italia An. Dom. 950. Berengarius, Iunior rex Italiæ, filius Adelberti Porregiæ Marchionis

&

& Giſellæ filiæ Berengarij Imperator factus, filium ſuum Adelbertum regem Italię dixit, cum quo vndecim annos Imperium Italiæ adminiſtrauit: Qui cum tyrannum potiusquam principem ageret, Otho magnus Imperator eum cũ filio Adelberto vinctum in Germaniam duxit, Italia ab omni tyrannide liberata: ſed in conuentu Francorum, Saxonum, Bauarorum, Alemannorum & Longobardorum à Cæſare veniam meruit, reſtituta illi Longobardia: Cum vero tyrãnidem iterum exerceret ſuperbeq; ac auariſſime imperaret, iterum captus cũ coniuge & filiabus, in Bauariam ductus, tãdem exul Bambergæ mortuus, honorifice ſepultus eſt. Adelbertus, Berengarij filius, rex Italiæ appellatus à patre, cũ eo regnauit an. 14. Regno ab Othone I. Imp. exactus eſt cum patre, Ann. Do. 954. Iterum rex Italiæ contra Othonem Imperatorem à proceribus Longobardis ſuæ factionis appellatus eſt, Ann. Dom. 965. Regnauit contra Othonem an. 3. & menſes aliquot: Præ-

lio

lio victus, regno exactus est ab Imp. Othone A.D.968. & non longe post mortuus: Fuerunt itaque ab An. C. 894. ad an. 968. intra annos 74. varij in Italia reges & Imperatores, qui inceperunt temporibus Arnolphi Imperatoris, Carolomanni filij nothi, Lotharij nepotis, Ludoici Pij pronepotis, Caroli Magni abnepotis, & sub imperio Ludoici IV. Arnolphi filij, Conradi I. eiusdem nepotis, Henrici Aucupis, eiusdem ex filia Lutgardi nepotis, Italiam variis perturbationibus afflixerunt, nullo resistente legitimo Imperatore, vsque ad huius vere magni Saxonis imperium; qui omnibus, tam Gallis quam Italis omne imperij ius vna cum spe recuperandi illud eripuit & successores suos transmisit: Plus sane laboris & curæ habuit hic optimus Imperator in imperio sarto tecto seu incolùmi & integro conseruando, quam prædecessores eius in erigendo, quod ex rebus eius gestis facile patet: Romæ à Iohanne XII. Otho Magnus coronam accepit: Quem postea ad Berengarium

rium cum defeciſſe intellexiſſet, Romam iterum inſecutus eſt: Atis iam ad Saracenos defecerat, aſportatis ſecum Eccleſiæ theſauris & occiſis omnibus, quos Cæſari bene velle intellexerat: Quo facto Pontificis motus Otto, Romam obſedit, cepit, ciues in fidem ſuam adegit, exegit, ne quem deinceps Papam eligerent ſine Cæſaris conſenſu: Creato autem Leone 8. iterum deficientes Romanos domuit: Atque hoc tempore reſtituit Ottoni Leo omnia, quæ Pipinus, Carolus & Robertus dederant Eccleſiæ Romanæ. Ioannem autem 12. pont. cum grauiſſimorum criminum reus ageretur, ſepe tamen vt reſipiſceret antea admonitum, ſynodo coacta, officio deiecerat, Leone illo ſuffecto; quem cum Iohannis Pontificis neceſſarij ſub Othonis profectione redeuntem, vrbe eieciſſent, vlturus inſignem iniuriam ex Vmbria Otho aduolat, Romaniſq; conſulibus cum prefecto in Germaniam relegatis, Leonem reſtituit, Sarracenis quoque & Græcis, qui illis adhæ-

ſerant,

ſerant, ex Apulia & Calabria fugatis, in Germaniã reuerſus, filio prius Othone imperij conſorte electo, Magdeburgi, Saxoniæ vrbe defunctus eſt, ibique ſepultus, Ann. C. 993. Regni 37. Imperij 13. Non minus autem Othonis primi filius & nepos in Romano Imperio conſeruando & apud Germanos retinendo augendoque occupati fuerunt, nempe Otho Secundus, qui Pallida mors Saracenorum & Sanguinarius dictus fuit, & Otho Tertius, qui Mirabilia mundi in hiſtoriis audit: Otho Secũdus prę-ter alia, Lotharingiæ ducatum motis illic turbis beneficij loco dedit Carolo fratri Lotharij Francorum regis: Id ille iniquo animo ferens Othonem Aquiſgrani obſedit, ac ni effugiſſet, ſtatuit etiam captiuum abducere. Quam Otho iniuriam vlturus, Gallos Lutetiam vſque palabundos inſectatur, depopulatus omnia, eoſq; ad pacem poſcendam coegit: Tandem congreſſi ſermone controuerſiam diremere: Manſit tamẽ Carolus in poſſeſſione Lotharingiæ, ſed deci-

decisis ei nobiliorib. partibus: Multa Agrippinensibus cessere, quædam Leodiēsibus: Instituti quoq; sunt noui comitatus, atque in his Hollandicus: Autuerpia Marchionatus factus est Imperij: In Italiam rebus domi compositis profectus, dum de Apulia & Calabria, partibus magnæ Græciæ, quas sibi ob vxorem Græcam Theophaniam deberi iudicabat, cōtendit, post varios & ancipites casus & captiuitatem Siculam, ex qua euasit, saucius ex telo venenato Romæ moritur & sepelitur, An. C. 983. Imperij 10. Othoni Tertio cū Crescentio consule Romano, qui ipsius dignitati officiebat, studebatque imperium Italis restituere certamen fuit: Is Brunonem, consanguineum Imperatoris, Papam factum, dictūq; Gregorium V. de sede deiecit, suffecto Johanne Placentino: Gregorius in Germaniam ad Othonem de iniuria conquesturus se recepit: Otho Romam expugnat, Crescentium ex fuga retractum, iumentoque auersa facie impositum per vias & compita

vehi ac tandem excruciatum, cum aliis duodecim factiosis suspendi iubet: Vtque in posterum Romanis omnis præcideretur tumultuandi occasio ex spe transferendi ad se Imperij, decretum est, astipulante etiam Greg. Papa & vniuersa ciuitate Rom. ne penes alios, quã penes Germanos deinceps esset Imp. eligendi ius, eius vero solennis inauguratio Romæ fieret per Pontificem, quod quidem ex eo semper obseruatum est: Etsi vero ea res Gallis displicuerit, qui se Francorum genus esse dicebant, à quibus ad Germanos primũ imperium peruenit, tamen cum in ipsis Carolouingiorũ sanguis regnare desiisset, nullæ visæ sunt ipsorum sufficere rationes ad mutandum decretum. Cæterum qui Romanis impensius fauent, adfirmant, ius conferendi imperium penes Papam adhuc esse, & Electores tantum regem Germanis dare, Pontificis vero esse, conferre Imperium: Quocirca Baronius cũ insigni Germanorum iniuria, non ab Electione annos orditur Imperatorum, sed à renunciatione per Pontificem facta,

quod vero tempus intercedit inter electionem & renunciationem, id ille omne interregno deputat: Quæ res, inquit Bertius, vt hactenus multorũ in imperio motuum causa fuit, ita deinceps semper futura est; donec pontifex ex præcepto & exemplo Christi rerum secularium cura principibus relicta ipse attenderit duntaxat ad doctrinã & preces. Hic ille est Otho, qui commentitiæ donationis Constantini fulcra subuertit, authorem eius prodidit, fidemq; grauiter imminuit. Etsi enim faueret Ecclesiæ Romanæ, eique liberaliter multa largiretur, tamen in ipsis illis donationis suæ tabulis non est veritus hoc modo scribere: *Confusis Papaticis legib. & iam abiecta Ecclesia Romana, in tantum quidam Pontificum creuerunt, vt maximam partem Imperii nostri Apostolatui suo coniungerent: Hæc sunt enim commenta ab illis ipsis inuenta, quibus Iohannes Diaconus cognomento Digitorum munitus, præceptum aureis literis scribens, sub titulo Magni Constantini, longa mendacii tempora finxit: Hæc sunt etiam com-*

menta, quibus dicunt, quendam Carolum (Caluum scilicet) S. Petro nostra publica tribuisse: sed ad hæc respondemus: Ipsum Carolum nihil dare potuisse, vtpote iam à Carolo meliore fugatũ, iam imperio priuatum, iam destitutum & annullatum: Ergo quod non habuit, dedit. Atque hæc quidem Otho; Cui congrua dixerunt, scripseruntque cordati omnes postea Imperatores: Friderici Barbarossæ apud Ligurinum verba hæc sunt:

Romanus tempore prisco
Pauper erat Præsul, Regali munere creuit,
Nec tamen vt fasces & regni iura Latini
Vel dare præsumat, vel cuiquã tollere possit.
Excessere modum magnorum munera Regũ,
Si tantum cuiquãius in sua regna dederunt:
Sed neq; tãta fuit largitio: nec dare quisquã,
Quo caret ipse, potest: Huius collatio Regni
Auctorem sortita Deum, contingere nulli
Iure potest hominũ: Collator muneris huius
Est Deus: hoc summis Regnum confertur ab astris.

Desinat itaq; *Baronius*, chartularius iudex, de tantis Dei muneribus censorem agere & omnia Imperij Romani iura suo promotori & Domino Papæ

Papę assscribere, vt nimirum gratiam hanc mendaciſſimæ ſcriptionis pro Cardinalitio pileo ipſi reponat: Si enim verbis & literarum characteribus licitum ſit alicui magna Imperia aſſignare, tum quidem *Baronius* fecit, quod conatus eſt, at ſi ea ex Diuina manu, armis & exercitu populoſo fortiſſimoque impetranda ſint, nil niſi verba dedit, inaniſque venti crepitum aſſentator: Neq; enim à Chriſto aut Apoſtolis ius illud in Imperia & regna accepit, ſed propria ambitio & ſuper omnes regnandi libido, aurique, quo pompæ & luxuriæ ſatisfieri poſſit, deſiderium, illi finxit & peperit: Ad quod non defuere Papæ paraſiti, qui omnia ad eius nutum fingerent, dicerent & ſcriberent: Multo minus à Regibus vel Imperatoribus eam licentiam habet, vt illis det & auferat pro libitu Imperia aut regna; Etiamſi quamplures ſuperſtitio potius Papiſtica, quam vera pietas mouerit, vt multum de Imperio abalienarint, & Eccleſiæ conceſſerint; Eccleſia Chriſti vera non eget tantis

donariis aut terrarum dominiis, sed illæ personæ, quæ se primas in ea faciunt, iis vtuntur ad gulam & luxuriem, quoque magis acceperint, eo plus appetunt, donec tota regna & Imperia sibi vendicarint & in possessionem acquisiuerint: Sunt autem illi ingrati muli, qui à quo nutriti sunt, ei Calcẽ impingunt, omnino immemores Asinæ Christi, cui ipse insidẽs Hierosolymam ingressus est: Sane ab equis ad asinos redigendi forent, à superbia ad humilitatem, ne summa in terris Maiestas cogeretur aliquando ceruicem calcandam præbere aut pedes osculari, equive frenum aut stapedem tenere tanto Dominorum Domino, qui se falsissime seruorũ seruum scribit: An vnquam Imperator adeo abiecti animi inuẽtus est, vt se seruum serui seruorum faceret, cum posset summum in terrenis locum occupare? An quis vnquam Rex se volens subiecit alteri, vt ab eo regeretur: Quod si factum foret, vt neutiquam reuera constat, tamen successores eius essent pristi-

næ

næ libertatis, si vellent: Non enim vnius vox aut scriptio plus potest, quã armata Imperatoris manus, si modo adsit voluntas: Quid factũ ab Othonib. iam dictis, Fridericis & aliis, satis manifestũ est, quomodo ius Imperij depositis pontificibus rebellibus, aliisq; creatis tutati sint & incolume seruarint, frustra clamantibus põtificiis, hic sunt duæ claues, duo gladij, fulminis seu banni & Indulgẽtiæ seu gratiæ, potestatis ecclesiasticæ & secularis: At suspicamur inter hos plerosque magis illi assimilari, qui 30. argenteis Christum ex auaritia vendidit, quam Petro vel aliis discipulis, qui omnia sua bona & officia reliquerunt, inq; forma pauperiori nudis pedibus, absque loculo, absq; armis, Dominum sequuti sunt: An non venduntur omnia Romæ Ecclesiastica? Quis hoc neget, nisi Romani moris ignarus? Quis hoc non affirmet, nisi in historia sacra qui nil legerit? Sed nos hæc agamus: Otho Tertius Imperator vna cum Gregorio V. Papa, vt saluti Germanię consuleret,

nouam fecit sanctionem, formulamque ac legem creandi Imperatoris, quo hæc electio perpetuo Germanis maneret, vt è suo corpore Cæsarem designarent atq; ea septem Germaniæ principibus, tribus sacri ordinis, quatuor profanis delegata est authoritas, quæ per quingentos annos & amplius huc vsque durat. Constituta hac ordinatione Itali varios tumultus aduersus Othonem concitarunt, adeo vt tutus esse non posset, & dum reditum in Germaniam maturaret, misso per insidias veneno necatus est, Ann. Dom. 1001. His viperinis Italorum armis plures Germanici occubuerunt Imperatores, vt dolendum sit, nõ remedium ex ipsis viperis cæsis petitum esse, suæq; plagæ pro remedio adhibitum: Prima electione per legẽ septem-virorum præscriptam facta, Henricus sanctus & Claudus Imperator constitutus est, qui fuit dux Bauariæ & Comes Bambergensis: Multa & ingẽtia bella mirabili fœlicitate gessit: Inter cætera Lotharingiam & Flandriam deuicit:

uicit: In Italia aduersus Saracenos pugnauit, eosque Italia expulit: Victor tum Romæ à Benedicto 8. coronatus est. Eius tempore Ardouinus Italici sanguinis, in Gallia transpadana natus, Marchio Iure, Mediolani ab Episcopis & nobilibus Imperator declaratus est: Contra quē Henricus 2. cū magno exercitu Italiam ingressus, eum prælio vicit: sed reparato exercitu Ardocinus secundo cum Henrico congressus, exercitu amisso victus & cæsus est; In authores deinde huius defectionis Mediolani grauiter ab Imperatore animaduersum fuit. Similiter Eginhardus contra Henricū arripuit imperium, qui non longe post Pallodi occisus est, A. Dom. 1002. Conradus II. Saliquus deinde secutus Imperator, Italiam ingressus est, vt odia principum in se castigaret, qui partim libertatem asserere conabantur, partim declaratum Cæsarem armis ab ingressu repellere adnitebantur: Huius filius Henricus III. Niger, qui Lotharingiæ ducem, vt imperio pareret, coegit:

Romæ tres pontifices de papatu simul concertantes reiecit, Pontificiæ sedi Suidegero 2. Bambergensi Antistite, qui postea Clemens Secundus appellatus, præfecto: Et vt caueret in posterum summorum pōtificum securitati, Romanos iureiurando adegit nullum sine suo permissu creandum pontificem: Obiit A. Do. 1056. Henricus 4. Henrici 3. filius, An. C. 1070. ausus est papam Hildebrandū, qui Gregorius dictus est, Wormatiæ in Synodo ob flagitia publice nota indignū eo loco & munere pronunciare, eiq; sententiæ subscripserunt Episcopi 26. Contra Papa Romæ in Synodo, inaudito ante ea tempora flagitio, pronunciat se Caput mundi, & suæ potestatis esse, Imperatores constituere; simulque Imperatorem excommunicat, & subditos ipsi omnes absoluit ab obedientia ipsi promissa: Vetat imo, ne quis ipsi pareat, sed mandat, vt alium eius loco eligant: Hoc tunc erat pastorem agere: Tum Rudolphus Sueuorum Dux contra Henricum rex creatus est:

quod

quod magnũ in Imperio peperit diſſidium: Nam exercitus vndiq; conſcripti, pugnæ multæ vndique commiſſæ ſunt: Nouiſſime vero pugnatum apud Martis Burgum, in quo cõflictu Rudolphus dextera amiſſa periit: Poſt eam victoriam Henricus Italiam ingreſſus, vrbeque Roma per vim capta, Hildebrandũ papam cepit, eumq; ab officio deiecit, qui non multo poſt in exilio mortuus eſt, ſuffecto in eius locum Rauennate Epiſcopo Clemente 3. à quo etiam coronatus eſt. Otto Friſingenſis Epiſcopus de excommunicatione Imperatoris hic ſcribit: *Lego & relego Romanorum & Imperatorum geſta, & nuſquam inuenio quenquam eorum ante hunc à Romano pontifice excommunicatum vel regno ſuo priuatum*: Huius Hildebrandi verſiculus eſt in corona, quam Rudolpho Sueuo miſit, ſcriptus: *Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho*: Etſi autem Imperator per pontificem Clementem 3. ab excõmunicatione abſolutus, in Germaniam rediens, filium ſuum Cunradum in Italia reliquerit,

querit, tamen non ante ceſſarunt Epiſcopi, quam Henricum filium in patrem concitarent, hoc maxime obtentu, ni pareret, futurum vt imperium alteri deferretur; nō poſſe ipſum bona cōſcientia patrem ſequi excōmunicatum: Ergo anno 1106. Henricus 4. Imperator remouetur ab imperio: At noſtrum non eſt, omnes pontificias inſidias, iniurias, excommunicationes, ſimultates & peruerſitates contra magnam partem Imperatorum ſequentium intenſas & exercitas proſequi, quamuis potius ex odio Italorum contra Germanos Imperij iura ſtrenue defendentes, quam aliis cauſis, eæ qualeſcunque ſint, proceſſerint: Cum enim viderent Itali ſe Germanis Imperatoribus nulla vi armata reſiſtere potuiſſe, inuenerunt hanc fraudem, ne dicam ſcelus, vt Pontifices ſub ſpecie religionis, quos vellent, excommunicarent, hoc eſt, ſubiectos debito iuramentivinculo exoluerent, omni potentia & aſſiſtentia principū ſpoliarent, inuiſos omnibus redderent,

filios

filios contra patres armarent & infinitis malis & tumultibus per totum Imperium causas præberent, præcentore hoc Hildebrando, successoribus suis exemplum mali moris & consilij relinquente: quemadmodum apparet in iam dicto Rudolpho, Duce Sueuorũ ex comite Reinfeldẽsi facto, ac post ex instinctu papæ contra Henric. 3. Imp. electo, qui cũ dextram in prælio amisisset, fertur decumbens, circumstantibus Episcopis, truncum manus abscisse intuitus, grauiter suspirando dixisse: (Recte mecum esse, ingenue fateor) Hæc enim est dextera, qua Domino meo Henrico fidem confirmaui: Ipsi vos nunc expendite, quam pie consulueritis mihi, vt ab eo deficerem: Et nunc condignam periurio accipio mercedem: Ecce, in quod me sequentem vestra monita, collocastis solium, satius fuisset, fidem semel datam seruare integram ac illæsam; atque haud multo post animam efflauit: Hic erat effectus coronæ pontificiæ cum glorioſa illa & falsissima in-

inscriptione : Petra enim, hoc est, Christus non dedit Petro Apostolo coronam Imperialem, sed crucem illi præscripsit, dum inquit, Petre si me amas, sequere me, hoc est, martyrium in cruce pati debes: Et pasce oues meas, hoc est, prædica Euangelium omni genti, non quasi Romam iret, ibique nouam Monarchiam Ecclesiastico-politicam instituret, vel antiquam & tum in flore existentem destrueret: Tyranni Romani, qui in Christianos adeo grassati sunt igne, ferro varioque mortis genere, hanc prætendebant causam, quod defectionis ab imperio & innouationis detestandæ essent rei, cuius tamen causam Plinius aliique præfecti non inuenerunt, vt ille testatur multis ad Traianum datis Epistolis, at sane si tum pontifices vel Episcopi Romani (qui vbi Romæ trecentis illis à natiuitate Christi annis delituerint, pompam & potentiam exercuerint incertum est, cum vix si muris instar fuissent, tuti præ inquisitoribus mansissent) eius mentis fuerunt, cuius

hic

aic Hildebrandus, eiusque succes-
sores, non martyrio, sed capitali
pœna se digna, nonnulli pontifices
seu Episcopi Romani affecti sunt. Pa-
tet quoque ex consequentibus, Pe-
tri non veri fuisse falsum diadema
non debito Rudolpho datum, qui in
periurij & mortis pœnam eo corona-
tus incidit: Henricus V. eadem à
pontificibus Romanis passus, quæ pa
ter, ac deinde Fridericus cognomē-
to Barbarossa, Philippus huius filius,
Otto 4. Fridericus 2. Conradus 4.
Henricus 7. Ludouicus Bauarus, qui
omnes mala pontificis gratia sunt
mulctati vel omnino excommuni-
cati: Quanta sit pontificum Roma-
norum arrogantia non solum ex hi-
sce effectibus (qui causæ fuerunt in-
finitæ cædis, dissensionis, schismatis,
incendij, deportationis & tumul-
tus in Germania) patet, veluti histo-
riæ tradunt, sed etiam ex superba
quadam scriptione, quæ sic habet:
Lotharius iunior, Saxoniæ dux, Im-
perator, in gratiam pontificum Ro-
manorum multum laboris susceptit

adeo

adeo vt tanta in Italia feciſſe feratur, quod à Carolo Magno nullus ex Francorum regibus ei conferri poſſit: At quam gratiam à pontifice hinc reportauit? Hanc, quæ ſequitur: In Italiam profectus ab Innocentio coronatur, quod Germani ita acceperunt, vt intelligerẽt benedictionem à Pontifice & publicam duntaxat renunciationem ſolenniter factam eſſe: Pontifex vero ita, vt à ſe collatum imperium & regnum Italiæ iudicaret: Itaq; in Palatio Lateranenſi picturæ ſatis arroganti hos verſus addidit:

Rex venit ante fores iurans prius vrbis honores,
Poſt homo fit Papæ, ſumit quo dante coronam:

Eſtque ob picturam iſtam & titulum ingens poſtea ſub Friderico Primo orta contentio, quemadmodum id prolixe refert Otto Friſingenſis Epiſcopus. Quod cum animaduerterint plerique Imperatorum ex ſequentibus, Romam non progreſſi ſunt pro corona à Papa accipienda, neque in ipſam

ipsam Italiam, vti Rudolphus Habspurgensis eam speluncæ Leoninæ persimilem dictitans, de qua intelligi hoc possit vulpeculæ dictum:

quia me vestigia terrent
Plurima te aduersum spectantia, nulla retrorsum!

Manifestum itaque factum est satis, VERVM à Germanis inuentum, ab iisdem fortiter conseruatum & defensum esse, nempe Imperium Romanum, in politicis optimum, quod quanta difficultate, consilio, labore, vi animi & corporis factum sit, ex integris historiis Imperatorum peti debet.

CAPVT III.

Quanta sit Imperij prærogatiua præ aliis regnis, quæ dignitas & quæ vtilitas.

MAgnum esse huius Imperii Romano-Germanici decus, potentiam & præ aliis Christiani orbis regnis prærogatiuam, per se satis cõ-

spicuum est: At vt ignari nonnihil de eius splendore sentiant, hic dignitatem eius ex comparatione cum aliis quibusdam rudi Minerua breuiter, si non prout decet, tamen quoad licet, delineabimus & describemus: Constat autem ea in modo Electionis Imperatoris, forma gubernationis, Principum subditorum illi potẽtia, terrarum & ciuitatum populositate, munitionibus, reditibus & his similibus: Quoad Electionis modũ, indubitatum est, eum esse consilio sapientissimo humani ingenij, non sine singulari Dei prouidẽtia, introductum, ab Othone eius Nominis tertio ex Saxonibus Imperatore, qui non sine causa MIRABILIA Mundi dictus est: Si enim nihil aliud memoria dignum gessisset, vel hoc solo facto eum titulum promeritus esset: Quid enim mirabilius in hisce terrenis contingere potuisset, quam summos cœlestium Planetarum motus & ordines iis repræsentare & ad viuum exprimere? Mirabilis illorum motio motui magnæ sphæræ stellarum

rum fixarum contra nititur, & mixturam harmonicam respectu illius efficit: Exempli gratia, Luna cum Stellis fixis & primo motu Diapason, seu octauam reddit, Mercurius septimam seu discordantiam aliquando in clausulis non ingratam, Venus sextam; Sol Diapente, Mars Diatessarõ seu quartam, Iupiter Ditonum, Saturnus secũdam seu tonum: quod sane Musicæ non inconuenienter accommodatum est: Saturnus enim vt nunquam non morosus & malus habetur inter planetas, nisi à bonis iuuetur & eius malitia retundatur, ita & secunda seu tonus nõ dat harmoniam, sed semper discrepantiam, nisi à dulcioribus concordantiis occultetur & gratia quadam donetur: Similiter dicendum de Mercurio, (vel septima) qui cum malis est pessimus, cum bonis mediocris: Septima enim, si alia discordantia aduenias, ingrata est auribus, nisi in quantitate exigua & dulci subsequente concordantia; In septima itaque Mercurij natura delitescere videtur: Venus

cum sexta mirifice quoq; conuenit, quæ interdū magis beneuola, quam alias, vt & sexta maior gratior, quam minor: maior enim ex quarta & ditono, minor ex quarta & semiditono cōponitur: Mercurius vero ex duabus quartis supra se inuicem positis, quæ omnino discrepant; Luna ex quarta & quinta supra sese, ita vt quinta sit inferiori loco: Sol omnium gratissimam concordantiam & perfectissimam, nempe Quintam, præ se fert; Vt enim Sol est regularis in vna Eclyptica linea semper manens, nec ab ea exorbitat in dextram vel sinistram partem, ita & Diapente vnius est generis, nec differentiam vllam admittit: Suauitas mira est in quinta, cuius cōpositio fit ex duplici tertia seu concordantia, hoc est, Ditono & semiditono: Mars quartam vere Martialem refert, quæ se in concordantias alias diuidi non sinit, nisi in ditonum & tonum: Iupiter vero Ditonum, primam concordantiam efficit, quę duplex quoque est tertia, nempe perfecta & imperfecta: Eandem

dem Harmoniam esse in septemuiris seu Electoribus principibus & Electo Imperatore perspici licet. Hoc est motus & actiones horum septem licet non in omnibus Imperatori conueniant, sed ex obliquo opponantur, tamẽ quoad bonum & commodum mundi, mire concordant & se inuicem temperant: Vtitaque est summa & Diuina sapientia in illis Planetarum septem motibus secundariis cum primo motu Stellarum fixarum, mixtis & compositis, ne illi huic, nec hic illis sit impedimento, sed omnes conspirent in vtilitatem hominum, seu differentiam & vicissitudinem faciendam temporum anni & dierum, Sic quoque apex prudentię humanæ in constitutione Electorum Principum cum Imperatore eo vsq; consentientium, quoad Respubl. seu Imperium inde detrimentum nõ capiat, dilucide apparet: Imperator principum est maximus, eosque sibi subiectos & ad se respicientes habet, quatenus in motu suo primo regulariter incedit, à quo si aberret, (quod

absit) magna pericula rebus & populis sibi subiectis impendent: Habet ipse suam Maiestatem inuiolabilem & sacram, nec non omnium amplissima Maiestatis iura, quæ nulli inferiori debentur, nisi ipsi semper & soli, nec ab eius Maiestate vnquam abalienari, mutuo sumi, per vim rapi, diminui, ad alium transferri, prescribi longo tempore, cum vel absque eius scientia, possideri clanculum vel publice possunt: Interim Principes gaudent suis Regalibus, immunitatibus, Priuilegiis, dignitatibus & honoribus, nec iis quicquam à superiori, quatenus suis officiis & pactis satisfaciant, detrahitur vel aufertur: Quamuis enim summus Princeps ex plenitudine suæ potestatis omnia humana, quę velit, possit prestare, quod pro lege habitum, tollere, quod non, habere, & sic de aliis, tamen præsupponitur semper recta ratione duci, nihilque agere, nisi maturo consilio; quæ ex contractu fiunt vel fieri conuenit, iis stare tenetur, & à principibus, si opus sit, admonetur, informa-

matur, & melioris disposítionis redditur: Ipse est viua lex, qua loquente, leges mutæ & scriptæ silent, at nihilominus sunt Priuilegia aliis quoque concessa ab eo, derogantia legibus vt plurimum, quibus quoq; standum est: Sic fit ex leniter obliquantibus sibi temperamentum verum & Harmonia Musicalis tam in Politia & Republ. quam cœlo: At cur septenarius numerus in Electorib. prælatus est aliis maioribus, vel minoribus? Quia maiores numeri confusionem & dissensionem nimiam peperissent, minores minorem delectum & pauciorum consensum: Senarius est quidem numerus perfectus, vt vnitas radix omnis numeri prima; Hęc igitur cõiuncta illi septenarium producit, qui æqualem diuisionem in tria admittit, quib. si vnitatem adiicias, fit quaternio, per quem Pythagorici iurare consueuerunt; Monebat enim Pythagoras suos discipulos, quaternarij numeri non esse obliuiscendum, in qua prima numerandi confectio comprehẽditur: Sic enim

meramus, vnum, duo, tria, quatuor, & hæc efficiunt decem: Principium omnium dicebat esse vnitatem, ex vnitate indefinitam dualitatem, veluti materiam auctori vnitati subiecisse: Eundem ad modum in Persica Monarchia erant septem principes Consiliarij, quorum consilio res præcipuæ decidebãtur ad politiam spectantes: In hoc enim numero nulla æqualis bipartitio nec tripartitio fieri potest; Contra in senario vtraque reperitur, in octonario bipartitio, in nouenario tripartitio; sic in denario & quaternario, illa, in ternario hæc adest: Septenarius autem perfectior est quinario; quia in illo est perfectus numerus & vnitas, in hoc nequaquã: De forma gubernationis idem statuendum: Vnum in imperio Romano-Germanico caput est, sed plura mẽbra, quæ suis officiis ab inuicem sunt distincta: Sunt septem principalia mẽbra, & præter hæc plura alia, quibus caput sensum & motum præstat, nempe Cor, epar, ventriculus, oculi, aures, testes, artus: Reliqua his suf-

fra-

fragantur omnia; quorum ne minimum est ociosum aut superfluum, à capite expectans vim sensitiuam & motricem, qua suas actiones perficit, quæ ad commodum capitis & vniuersi corporis diriguntur: Ita Imperator regit & gubernat principes singulos, illisq; dat potentiam & Regalia confirmat, vt sint tales & tanti, ceu habentur, ac vicissim omne officium & robur ab illis acquirit: Rex enim impotens est, nec est rex, qui subditorum suorum ope destituitur: Et Imperator non imperat, qui principum beneuolentia caret: Vt enim hi habent suum esse ab illo, sic ille suum ab hisce, vtriq; ab imperio: Hæc equidem forma in gubernando non est aliis in regnis aut Imperiis, vt nec in eligendo rege: Apud Turcas modernos, Indos, alios q; Ethnicos tam antiquos, quam recentiores potestas regia, Tyrannidi persimilis est, veluti quoque apud Moscouitas, vbi vnus omnem vitæ necisque omnium potestatem habet, nec legibus nec principibus potentioribus refræna-

tur, qui si bonus sit, Regem, si secus, tyrannum (velut, vt plurimum) agit; Ipse statuit pœnas pro libitu, ponitq; voluntatem pro ratione, priuatorum bona rapit, cum libet, magnates humiliat & viles attollit pro nutu, nec audet quisquam ei dicere, Domine quid agis? Veluti sunt, qui talem tyrannidem verbis nobis persuadere velint, nempe vni hominũ hanc concessam potestatem cœlitus (quod tamen hactenus non probarunt, quia à cœlo nullam vnquã legationem aut confirmationem toto suæ possessionis & vsusfructus tempore acceperint) vt etiãsi mille animas in orcum demergant, nemo tamen audeat illis dicere, Papa quid agis? Si illa est tyrannis in corpus, hæc certe est in animam, eaque tanto peior, quanto anima præualet corpori: Deinde apud Reges Christianos ea electionis & gubernationis forma non occurrit; Apud eos enim potissimum succession per hæreditatem, quam electionem frequentatur: Sint, qui prætendant electionem, tamen illa intelligitur, nulla

nulla existere prole, apud quosdã, masculà, apud alios, etiam fœminea: liguntur illi, qui non electi regnaent, & si præteriri non paterentur, uæ electio est coactio, vel coactæ oluntatis opus; Electio apud Germanos etiam incultiores antiquos robata magis fuit, quam successio egum: Sic enim Tacitus de illis: *Reges*, inquit, *ex nobilitate, duces ex virtute sumunt:* Idem apud Franco-Germanos vsitatum fuit: Sic enim Gregorius Turonensis: *Franci*, inquit, *etecto Childerico, Eudonẽ sibi vnanimiter regem dsciscunt:* Et rursum: *Tum Franci, qui quondam ad Childebertum adspexerant seniorem, ad Sigebertum legationem mittunt, vt ad eos venientes, de relicto Chilperico, ipsum per se regem stabilirent.*

Quanta vero sit principum Romano-Germanico imperio subiectorum potentia, non est æmuli vel liuidi iudicare: Plerique sunt Regiæ originis, & nihil non cum regib. commune habẽt, excepto titulo, & quod maiorem se agnoscant ex suo tamen medio eleuatum ad Maiestatem Impera-

peratoriam: Sunt qui dicant, Imp
ratorem Germano-Romanum e
regem regum, cum econtra alij n
pauci nomine tenus principibus
comitibus imperent: Fuit quonda
rex, qui regi imperare cupiens, qu
dã donauit insula veluti feudo cu
titulo regio, cuius tamẽ potestas v
baronatum alibi fecisset: Tales r
gulos Germania millenos & ampli
daret, præter Magnates, Principes
Comites; In quibus (absit inuidia d
ctis) regia mẽs & origo prælustris e
Scotus ille *Brussius*, in oratione, qua
in Polonia habuit de bello aduersu
Turcam gerendo, Polonis, quib
aderat (forte quid dans auribus) lau
dem nobilitatis, Hispanis religioni
Italis ciuitatum elegantium, Gall
militum, Anglis rusticorũ tribuen
Germanis Principum decus & ma
gnificentiam ascribit; in quo vltim
non fallitur: Cum enim multæ gen
tes Germanicæ, quæ antiquitus sin
gulę singulos reges aut duces habu
runt, coiuerint in vnum quasi corpu
magnum, necesse est, multos quo

qu

re extare regij sanguinis aut duca-
s originis.

Nouimus in quibusdam regnis ba-
nis vel comitis titulos esse fere nu-
a nomina, cum adiectione alicuius
itionis vel arcis vel oppidi, quorum
eutrum ad illum, eius prædeceſlo-
es aut ſucceſſores ſpectat vel ſpe-
abit: Indecens hoc foret in Germa-
ia, vbi Magnates vere ſunt magni &
Nobiliores non agnoſcũt quendam
nter ſuos aſcendentes, deſcenden-
es & collaterales tã affinitatis, quam
onſanguinitatis, niſi vere nobiles,
oc eſt, in prædiis ſuis more regulo-
um ſeu dynaſtarum viuentes, ha-
entes rura, agros & ſubditos, cum
uriſdictione vel maiori vel minori,
nec exercentes pyraticam, mercatu-
uram, vel aliud id genus ignobilis
fficij: De quibus alias.

Terrarum Germaniæ quanta ſit amplitudo & fæcunditas, ille nõ credit, qui nõ vidit, aut ſuæ patriæ limitibus nunquam egreſſus eſt: Sunt aliqui ex tranſmarinis, qui phantaſticam opinionem ſæpe mihi ſuam incul-

culcarunt, At illi sciant, ante bis mi
le annos incultã fuisse Germanian
sed intermedio illo tempore huc v
que fœcundissimam redditam; Pau
cissima sunt apud eos, quæ non da
Germania, aut si dat, hyems non to
lerat, & econtra mille species rerur
esculentarum & aliarum abundan
in Germaniæ diuersis locis, quæ ib
ne nomine sunt notæ: Magnitudin
& extensione suorum finium Ger
mania superat quodcunque vel am
plissimum regnum: Est enim nun
duplo maior, quam Taciti tempore
vel C. Cæsaris: Tum nullas habuit
vt illi scribunt, vrbes muro cinctas
Quis nũc numeret eas omnes? Cre
do quod millenarium numerũ lon
ge excedant, absque vicis, pagis, ca
stellis, monasteriis, quæ incredibili
sunt frequentiæ: Munitiones tantæ
sunt firmitudinis nostro tempore in
Germania, vt loricata & armata fere
tota appareat, Bellum ei indicat qui
exterorum velit, non inermem aut
imbellem (vt nec ante in eius nudi-
tate) eam nunc experietur: An forte
memo-

memorabile vnquam bellum in Europa gestum est, cui defuerit Germanus miles, nisi ex odio gentis non admissus? An est princeps in continēte Europæ, qui non se virtuti gentis Germanicæ credat, siquidem ab Heluetiis Romæ excubitorib. Pontificiis cognouerim, vltra triginta esse regias vel aulas, vbi Germani satellites admittantur & in precio habeantur inde ab Augusti Cæsaris tempore.

Reditus Imperij Romano-Germanici esse amplissimos, nemo nisi ignarus, dubitare poterit: Et hi vel Cæsari, vel Principibus, Comitibus, Baronibus, vel Nobilibus, aut ciuitatibus liberis adueniunt, longe maiores, quam à Botero Neapolitano, vel ab vllo alio extero (tā inuidia, quam insciti a excusato & excæcato) expressi & definiti sunt; qui videndi suo loco.

Ex his igitur in genere consideratis Imperij Germanici Dignitas & Excellentia in cōparatione aliorum regnorum, satis manifesta fiet: Habet

bet metalla, fructus, animalia diuersarum specierum Germania: Habet Emporia merces innumeras & nauigia: Dat frumenta, vinum; abundat hortis, syluis, nemoribus, pratis & pascuis: Habet lacus, fluuios & maria: In summa vix aliquo destituitur, quo carere, si opus sit, nequeat; Vix alibi quid inuenitur, quod non per naues Hollãdicas & Anseaticas in Germaniam transportetur, si eius sit vsus: Ideam Orbis exiguam vel vnus ille Germaniæ comitatus, Hollãdia, refert: Quicquid apud Antipodas est mercium, Amsterodamum ad se trahit: Quicquid vtraque India dat aromatum aut rerum pretiosarum, illius naues aduehunt: Et hæc omnia ad commodum Germaniæ & vicinorum regnorum: In quibus breuiores sumus, cum in sequentibus pleraq; magis demonstrabuntur.

Ex Imperij autem Germanici magnificentia, vt & aliis ante dictis, apparet PRIMI VERI Germanorum inuenti magnitudo: Quis, nisi calumniator mendaciſſimus, dicet ex vi-

no

no hæc ortum ducere, vel ebrietatē contigisse huic Nationi? Certe Eduardus Tertius Angliæ Rex à toto circulo Burgundico, Flandris, Brabantis, Hollandis, Zelandis, Frisiis, aliisque nec non à toto Germanico Imperio, eiusq; principibus adiutus fuit, in occupanda Gallia; vt & eius posteri semper ab Imperio Germanico auxilium petitum habuerūt, donec pro voto Franciam subiugarint: Quid vero causæ fuerit, cur duce fœmina facti inde expulsi sint, ignotum: Forte magis sobrij, aut magis fortes eorum fuere victores, quam ipsi: Si quis sobrios illos vocet, damnosa videtur illa sobrietas qua regna amittuntur, cum aliis, qui summum Imperium & inuenerunt seu armis impetrarunt & hucusque illæsum retinuerūt, econtra ebrietas dicatur ea peperisse: Verum quæ amissa sunt, si per ebrietatem amissa ferantur, maior culpa per minorem tegi videtur, quæ vero Inuenta, si per ebrietatē dicātur, stulta profertur oratio: Plura enim per hāc amittuntur, quam inueniuntur.

Si quis obiiciat, in vino veritatem apparere quocunq; modo bibatur, vel ad ebrietatem, vel ad acuendum animum: Eo enim Dionysius Tyrannus Siculus, aliiq; explorare solebãt veritatem in hominum animis tacite latentem, tanquam tortore & forte efficacius: Cum eidem Dionysio innotuisset, quod dicteriis & calumniis à duobus læsus fuisset, vnum ex iis ad se vocatum interrogauit, num illa verba dixisset? Ille, qui negare ea non poterat, respondit, nos potantes multa diximus, at nisi vinum defecisset, longe plura dicturi: Et Poeta,

Tollit humo ingeniũ, inquit, *Bacchus; mentem erigit altam,*
Pegaseaque velut vehit ala:

Primo modo per ebrietatem verum elicitur, per hunc vltimum mens hominis acuitur, vt vera videre possit antea non visa; Intermedius ille vini vsus propter imprudentiam vult excusationem mereri: Sed hæc nõ negamus: at cur solis Germanis illa appropriat? An illi soli fruuntur vino? An non & Græci olim? Et quis nunc non

nō præter eos, qui à cœli ardore prohibentur? Nihilominus bibaciſſimi quoque inueniuntur aliqui Itali, imo & in venereis continentes: Habentne cæteræ gentes ſua vitia? Demus ſeptentrioni bibacitatem, Germaniæ ad orientem, voracitatem cum eadem: ad occidentem, leuitatem mentis, aliis furacitatem; ad meridiem, Sodomiam vel Veneris laſciuiam: Vltima prohibentur lege Iulia & Aquilia, vindicanturq; laqueo & igne; priora non item: licet vitia, qualiacunque ſint, ipſo nomine deteſtanda veniant: Ne itaq; læuo nos dignentur oculo, qui ſuis vitiis nihil ſe aut parum inueniſſe animaduertunt, Germanos vero Veritatē, quæ omnium rerum precioſiſſima eſt, ex Vino elicuiſſe: Habeant ſinguli ſibi ſua vna cum vindictis aut præmiis, & Germanis nunquam deerit Veritas.

CAPVT IV.

DE SECVNDO VERO VNIVERSALI, BELLICO.

Secundum VERVM à Germanis inuentum est puluis tormentarius & machina bellica, qua insignis mutatio facta est in mundo, tantum habens boni in vero suo vsu, quantum mali in abusu; idque Christianum orbem à barbarorum, vt olim Hunnorum, Tartarorum, & aliorum, incursionibus liberauit.

POstquam Germani in possessione Imperij, veluti VERI omnium precio sissimi, iam essent, cœperunt acuere ingenia indies magis ac magis ad inueniendas nouas artes, vel ad restaurandas amissas; Inter quas *Chymia* fuit scientiarum, nisi adeo inqui-

quisitores & amantes sui circumduceret, facile *Regina*: Huius in Germania primus quasi inuestigator & cultor fuit *Albertus Magnus*, *Dominicani Ordinis* monachus, post Episcopus Ratisponensis: qui vt Dominicum Authorem, sic eum permulti in eodem studio monachi sequuti sunt: Inprimis quidam nomine *Bertholdus Schwartz* pulueris Pyrij ac deinde Tormenti bellici inuentor. A.D.1380.

Tradunt autem philosophi, quod eorum tinctura fiat ex corpore, spiritu & anima, & ex spiritibus constet, quorum vnus complectatur alium: Hinc ille omnes spiritus minerales inquisiuit, inter quos sulphur præcipuum agnouit: Est enim Sulphur, attestantibus omnibus Chymicis, pater metallorum & absque eo (philosophico) nihil fit in tota arte: Imo hæc nihil aliud est, quam sulphur illud indagare & perficere, hoc est, coniungere cum suo compari, velut *Geber* loquitur: Sexcenta sunt testimonia, quæ in sulphure omnem perfectionem statuunt, quamuis ea om-

nia non de vulgari, sed philosophico, intelligenda sint: Vt enim sulphur illud commune est calidum & siccum cum igneitate combustibili & comburente, sic philosophicum easdem habet qualitates, sed absque vlla igneitate combustibili: Illud est volatile & comburit metalla, quibus inest, si diu in igne seruentur, hoc est fixum & tuetur metalla, quibus inest, à combustione: Illud omnia inficit suis sordibus & nigrefacit, hoc tingit in aureum colorem: Vnde apparet, esse inter hęc duo sulphura, commune & philosophicum, magnam differentiam, licet vtrumque dicatur sulphur ob quandam actionis similitudinem: Commune enim est naturæ medium, quo metalla longo tempore in suis subterraneis cubilibus imperfecta rediguntur in perfecta, Philosophicum vero artis, quo eadem breuissimo tempore extra terram in perfecta transeunt: Hæsit itaque dictus Author in ipso nomine & sulphur commune pro sua intentione complenda accepit, vtpote calidum

&

& siccum spiritum; cuius vt summas qualitates temperaret aliquo contrario spiritu, nimirum frigido, omnem naturam peruestigauit, & reperiit denique talem esse salem petræ.

Dicũt autem iidem Chymici non raro, *Adamum hunc lapidem secum portasse è Paradyso, & quemlibet eum secum habere, seu esse in te, in me, & in quolibet alio*, vt Morienus ait: Addunt, *ex loco fœtido, & sterquiliniis eum extrahi debere: Lapis*, clamant omnes, *de quo hoc arcanum agitur, est nullius precij, & in sterquiliniis conculcatur; & nisi ex sterquiliniis sumatur, manum de marsupio tollendam esse, nihil in aurificio impendendum, lapidem haberi gratis, & iacere proiectum in viis, deque eo sumendum, quantum cuique placeat, nec alicuius veniam impetrandam; inueniri aliquãdo in stabulis antiquis, esse vilissimum:* Dicunt quoque, *qui saporem salium non gustauit, nondum eum incepisse.*

Quæ omnia concordant, & quasi digitum intendunt in salem petræ: Hic enim ex vrina hominum & animalium, præsertim ouium confici-

tur, & latet reuera in ſterquiliniis, ſtabulis vetuſtis; vnde terra deprompta, affuſa aqua, dat lixiuium, quod coquitur in ſalem petrę per artem illis opificibus cognitam: Hic eſt viliſſimus, & in corpore humano fuit aliquando portatus, ſic quoq; in Adamo extitit, & in viis iacet inuiſibiliter proiectus. Quid multis? Hic ſal eſt magnarum virium, qualitatis frigidę quæſitæ, vnde in igne ſibi contrario dat crepitum: Vt enim aqua frigida incidens in fornacem ignitam, ferream vel lapideam magnum dat ſonitum ex concurſu duorum Elementorum contrariorum, ſic cogitãdum eſt fieri in ſale petræ in ignem proiecto: Eſt inſuper ſal petræ ſpiritus qui in profundum metallorũ penetrat, eaque ſoluit in aquam, ſi ex ſale petræ & vitriolo ſubtiliſſima aqua, quæ fortis dicitur, fiat; Corrodit enim ferrum, cuprum, plumbum, ſtannum & argentum, non autem aurum: Vnde nemo dubitaret, eſſe in ſale petrę myſterium philoſophicum, ſi ſuo cõpari, ſulphuri communi, adiungatur;

& hęc duo bene inter ſe miſceantur: Verum factis experimẽtis, vel ex ſola ratione patuit, ſpiritus abſque corporibus nihil operari, quia non habeant ſuſtẽtaculum ſeu corporeum ſubiectum, in quo maneant; Quamprimum enim ſal petræ cum ſulphure mixtus igni appropinquat, vterq; ſpiritus auolat cum ſibilo & incẽdio, velut draco flammiuomus, in auras, nec quicquam fixi in ſe retineri oſtẽdit: Oportet itaque hos ſpiritus figi & coagulari in terra aliqua fixa, quæ non fugiat, & fugientes apud ſe conſeruet, figat & moretur: At hæc vnde petenda eſt? Certe ex ea natura, quæ metallis applaudat & proprietate occulta aſſimiletur, ſi nõ ex ipſis metallis: Metalla prius in terram comburantur, & probentur, num his ſpiritibus coniũcta fixitatem inductura ſint: At omnis conatus eſt fruſtraneus, & labor fallitur ſuo effectu: Metalla enim imperfecta cõbuſta ſunt mortua, & perfecta comburi nequeunt, ſemperq; manent integra.

Quid igitur faciendum? Ad ve-

getabilia aſcẽdendum & eorum naturæ experimentandæ ſunt, forte aliquid cognationis habent cum metallis; præſertim Corylus, quæ dat virgulam diuinatoriam, metallorum ſub terra latentium indicem: Dicũt enim in montibus metalliferis hanc plerunq; in vertice creſcere, atque inde vim illam occultam ei per aſtra imprimi, qua metallis aſſultẽt, ea latentia prodat, inq; lucem proferenda, velut obſtetrix, moneat. Sumendæ ergo ſunt virgulæ ex Corylo & in Carbones ſuffocatiuo igne redigendæ; carbones in puluercs ſeu atomos: Si enim in cineres comburerentur, omne oleum & humiditas radiculis euaneſceret, quã par eſt remanere in terra philoſophica.

Quibus omnib. conſideratis *Bertholdus Schwartz* miſcuit hæc tria ſimul, nempe carbones eos, vt corpus, ſulphur, vt animam, ſal petræ, vt ſpiritum, & poſuit in vaſe forti ad ignem fixatis, adhibitis ignis gradibus: Verum quamprimum calor ignis incendium ſulphuris cauſatus eſt, vas in

mille

mille partes dissiliit maximo cum bombo: Vt autẽ huius effectus causæ probe agnoscerentur, est credibile ipsum monachum nõ acquieuisse in eo, cum vas fractum esset, forte lapideum, sed vas metallicum fortissimũ accepisse, ex ferro vel ære campanarum confecto, qualia sunt mortaria vel ollæ metallicæ, inque hoc disposuisse hanc suam eandem materiam in maiori copia, & orificium vasis arctissime concluisse cum metallo eiusdem generis: sed vase adignem posito, quamprimum calor incenderit dictum puluerem, tãta violentia erupit obturamentum vasis, vt omnia, quæ attigerit, penetrarit, fregerit & impetu validissimo prostrauerit: Hoc fuit initium fortuitæ inuentionis Pyrij pulueris; Cuius experimẽto sæpius repetito, facile fuit machinam fortem metallicam, oblõgam, quam pyxidem vel bombardam, siue tormẽtum vocamus, inuenire; in quod pulueris illius certam quantitatem intulerit, ac post, globulum metallicum superaddiderit,

pul-

ueremque per exiguum foraminulum incenderit, ſicque globulum ad certam metam miſerit.

Ecce hic eſt ortus *Plutonis* flammiuomi, aut ſi mauis, Cerberi infernalis: Hic eſt Natalis *Typhonis*, qui ex percuſſu pugni Iunonis de terra eſt editus: Dum enim ipſa Iouem æmulari vellet, qui ex ſeſe Palladem ſine fœminea ope protulit cerebro per Vulcani ſecurim aperto, irata terrã percuſſit manu, & mox erupit *Typhon*, immanis & flammiuomus ſerpens, parens plurimorum monſtrorum: Ita dum monachus ſapientiam quęrit Chymicam, hoc eſt Medicinã morborum omnium in homine & metallis, reperit Pyrium puluerem, quo tot & plures tradendi ſunt morti, quam inde ea medicina liberandi: Tum equidem inferis feſtis dies celebratus fuit, Et *Solmoneus Æoli* filius, qui Iouis fulmina in aere ſimulabat, eo artificio ſe victũ agnouit: de quo Virg. lib. 6. Æneid.

Vidi & crudeles dantẽ Salmonea pœnas,
Dm flammas Iouis & ſonitus imitatur
Olympi. Tum

Tum *Hecla Islandiæ*, *Ætna Siciliæ*, *Lypara Æoliæ*, *Chymera Lyciæ & Vesbius seu Vesæuus* Italiæ, ex quibus montibus natura flammas euomit sulphureas, arte se expressos ab hominibus viderũt & admirati sunt: Tum fluuij infernales *Styx*, *Lethe*, *Cocytus*, *Phlegeton* & *Acheron* lætati sunt, quod animarum transmittendarum magna futura sit sit copia: *Perillus* ille *Siculus* cedat huic machinæ cũ æneo suo tauro, ad torquendos fontes, suoq; exemplo doceat flammis suppositis, mugitũ bouis imitari, mandante *Phalaride*: Non æquiparandus est huic monacho *Epeus*, author illius machinæ, qua delitescentes *Græci Troiam* noctu ceperũt dolo: Non Vulcani fulmina, quæ ille Ioui fabricasse fingitur, huiusce tormenti fulminantis vim horribilẽ superant. Nõ *Dædalia* opera omnia cum hoc vno cõferenda sunt: Polydorus Virgilius de inuen. lib. 2. c. 11. de hoc inuentore sic scribit: Fertur homo (Bertholdus) ad exitium humanum natus, seruasse aliquando domi in mortario puluerem sulphureum, cuius-

iusdam medicinæ faciendæ causa, il ludque texisse lapide, ac mox conti gisse, vt dum ignem ex silice prope excuteret, scintilla intro ceciderit subitoque flamma eruperit atq; lapidem in altum tulerit: & ille eius re casu doctus postea facta ferrea fistula & puluere confecto, machinã reperisse ac eius vsum Venetis in illo bello primũ ostendisse, quod ad fossam Clodiam est cum Genuensibus gestum, qui fuit annus salutis humanæ 1380. Ex quo iam vsu venit, vt in eo hoc tempore omnis ferme vis peditum, omnis Equestris splendor, omnis deniq; bellica virtus indecore consistat iaceat, obtorpeat. Hæc bombarda vocatur à bombo, id est, qui βόμβος græce dicitur: Quidam alij tormentum æneum malunt nuncupare: Eius modo plura fiunt genera, quæ varie vulgo nominantur, & vnum illud minimum, quo nunc pedites vtuntur, factitio nomine Sclopus nominatur. Sclopus enim est sonus ille, qui ex buccarum inflatione erumpit. Hæc ille:

At dubitandum, an dolus, an virtus in eo artifice fuerit, ille vt culpãdus, hæc, vt laudibus in cœlum vsq; efferenda & prædicanda? De dolo seu pœna, cuius ratione hæc machina horrenda his postremis mundi temporib: inuenta videri possit, primo agemus: Quod de *Pandora* à Ioue mortalibus dono data dicitur, idem de hoc dono intelligi queat: Habuit autẽ illa omnis generis bona & mala commixta: Sic est in tormento bellico: Quæ mala in hoc nõ continentur, & quæ bona? An iratus Deus humano generi hoc munus contulerit, an vero pacatus, ignotum est: Non autem absq; Dei nutu, mere fortuito casu, hoc inuentũ esse arbitrabimur, quasi summum illud cæleste Numen res humanas nõ respiceret, ac saltem omnia Naturę ac voluntati hominis, ingenio & arti committeret, sed veluti pœnam simul & præmium ab eodem mortalibus communicatum: Pro executione & vindicta malorum habet Deus varios exercitus, quos immittit iis, quos punire velit, nempe

pe famem, peſtem, bellum, aquarum diluuia, ignis incendia, animalium noxiorum damna, terræ motus & his ſimilia: Inter hæc pœnalis hæc machina referri debet, belloque aſſcribi: quod vt maiori vi & efficacia geratur, hoc inſtrumentum bellicum ei pro auctario acceſſit, quo vno omnia antiqua illa tollũtur vt ſuperuacanea, vt inutilia, ceu ſunt Balliſtæ, ex ferro, taxo aut oſſe, quo magni lapides emittebantur, Arcuballiſtæ & carroballiſtæ, quæ curriculis ferebantur.

De balliſta Ouid. lib. 1. de Triſtib.

Quam graue balliſtæ mœnia pulſat onus.

Cicero lib. 2. Tuſculan. quæſt. Vt enim balliſtæ lapidũ, ita reliqua tormenta telorum: Balliſta formabatur ea magnitudine vt lapides 120. pondo eiacularetur: Balliſta maior ſaxa contorquet: Hæc à Phœnicibus reperta eſt: De hac Syl. lib. 1. *Phocais effundit vaſtos balliſta molares*: Balliſta minor haſtã iacit & parua ſpicula: Scorpiones erant machinæ, quæ Vegetij tempore dicebantur Manuballiſtæ.

Ideo

Ideo autem nomen hoc traxerunt, quod paruis subtilibusq; spiculis inferrent mortem. Onagri quoque dicebantur ideo, quod asini feri cum à venantibus agitantur, ita eminus lapides post terga calcitrando emittant, vt perforent pectora sequentium aut perfractis ossibus capita ipsa displodant: Saxis autem per *Onagrum* contortis non solum equi elidebantur & homines, sed etiã hostium machinamenta frangebantur. *Testudinem* quoque machinam fuisse bellicam *Vegetius* ait; de materia ac tabulatis contextam, quæ ne exureretur incendio, coriis vel ciliciis; centonibusque vestiebatur: Hæc intrinsecus accipiebat trabem adunco præfixam ferro, quod falx vocatur, ab eo, quod incurua est, vt de muro lapides extrahat. Idem ait, *Caput eius vestiri ferro, appellarique Arietem, quod frontem habeat durissimam, quæ subruat muros & arietum more retro cedat; vt cum impetu vehementius feriat.* Habet autem testudo machina similitudinem cum testudine vera: nam sicut hæc

modo reducit, modo profert caput, sic illa interdum reducit trabem & quandoq; exerit. De Ariete Virg.

Labat ariete crebro
Ianua & emoti procũbunt cardine postes.

Ouid. lib. 11. Metam.

Nec leuius pulsata sonat, quam ferreus olim
Quũ laceras aries balliſtave cõcutit arces.

Arietare enim est cum impetu percutere: vt Virg.

Arietat in portas & duros obice postes.

Arietis proprietatem *Pamphilus* hoc distícho complexus est:

Rũpo fores, muros quatio, demolior arces,
Cornua ferrata sub trabe dura gero.

Vt interim taceam Telenon, turres ambulatorias, vineas, trifaces, cataphrattas, plumbatas, tribalos, musculos, pluteos, sambucas, phalaricas, malleolos, falces, harpagas, exostras, cochleas, & id genus alia instrumenta bellica, quæ omnia nullius vsus aut æstimationis sunt præ hoc vno à *Germano* monacho inuento *Tormento*: Bombardam hoc vocãt à bombo & ardeo, execrabile prorsus

fus donarium, quo nihil fulmini magis simile, luce, impetu & odore terrimo; cuius inuentori, vt inquit ille, *robur & æs triplex circa pectus erat, illum parentis crediderim sui ceruicem & penetralia sparsisse nocturno cruore hospitis:* Richardus Bartholinus bombardam vocat *turrifragam.* & Volaterranus ait *Bombardam primam à Germanis dono Venetis datam, cum hi apud Clodiam fossam Genuenses obsiderent:* Verum quam gratiam *Veneti* Imperio Germanico retulerint, abunde patet, cum pleraq; oppida *Patauium, Veronam, Brixiam, Treutsum,* & alia ad Imperium spectãtia ope bombardarum sui iuris fecerint, & adhuc possideant.

Quod si hoc genus instrumenti bellici apud Christianos solos inter arcana habitum remansisset & confectio pulueris Pyrij non omnibus etiam ex vulgo patefacta fuisset, melius cũ Imperio Germanico & Christiano orbe actum fuisset: At cum Iudæis quoq; eius pulueris conficiendi ratio innotuerit, machineque forma iat explorata, illi maximo Christia-

norũ damno, ſui lucri auidi, ad Turcas vtrumque detulerunt, quam ob cauſam Moſcouita adhuc Iudæos deteſtatur & maxime exoſos habet: Imo eo res redacta animaduertitur, vt etiã ipſi Chriſtiani, præſertim maritimi nauibus ad Turcam omnia inſtrumentorum bellicorum genera, quibus Chriſtiani oppugnari & ſub Turcæ poteſtatem redigi poſſint, ſuę vtilitati intenti deportent, vt illis accidat, quod volucribus, quæ viſcum, eiuſque baccas deuorantes, per alias arbores ſeminant & propagant, quo ipſæ earumq; ſpecies inuiſcari & capi poſſint.

Satis conſtat, quomodo Veneti ſi qua habeant præ cæteris inuenta, ea celent ex inuidia præ aliis, ne diuulgentur, nempe in arte tingendi ſericum variis coloribus, conficiendi vitra criſtallina, ſmaltũ rubeum, chryſocollam, & aliis: De tinctoribus notum eſt, vt ſi quis exterorũ aliquamdiu apud eos maneat & multa ab iis diſcat, non facile abire permittatur; quod ſi verò abitum paret, per carnificem

ficem virgis(ad pudorem, non dolorem incutiendum)in tergo supra vestes castigatus ex vrbe educatur: Lõge vtilius fuisset tãtum arcanum sub sacro silentio inuoluisse nobis, nec aliis communicasse: Sed vt *Pandora* ex vase aperto exiliit, perq; totũ mundũ bona ac mala dispersa sunt, sic quoq; accidit cũ hoc munere, quod semel detectum, nunquam tegi poterit, adeo vt etiam orbem terrarum circum circa perambularit, & æque apud Antipodas sit in vsu, quam apud primos eius inuentores Germanos: Quocunque enim naues peruenire possunt, eodem & hæc tormenta bellica apportantur & inquilinis innotescunt: Apud vtrosque Indos, displosis primitus tormentis, quantus pauor & tremor increbuerit, testantur historiæ, putantes ouem de cœlo cum suis fulminibus & tonitrubus descendisse, aut certe nostrates siue Hispanos esse diuini generis, immortales, inuictos, & ad aliis dominandum natos, tanto nimirum fragore & lumine fulmineo, cum velint, subito

pollentes, quo omnia alia prosternāt & frangāt. Contra huiusmodi enim ictus nil valuerunt clypei, ancylia, parmæ, peltæ, nil loricæ ferreæ; nec omnino immunes sunt thoracati: Vnde *Pamphilus* Saxus ita de hoc tormenti genere scribit:

Vis, somnus, rabies, motus, furor, impetus, ardor
Sunt mecum, Mars hæc ferreus arma timet.

Quanta in mundo facta sit mutatio hoc vnico inuento vix est credibile: Munimēta nostri æui & antiqui longissime ab inuicem distant; Huius tyrones, illius magistris si non superiores, tamen pares sunt: Nil sagittis aut pharetris nunc opus est, nil spiculis & missilibus: De *Germanis Tacitus, magnas*, inquit, *ferebant lanceas & hastas, angusto & breui ferro, quas frameas vocant: Hoc telo & scuto contenti erant equites: Pedites & missilia spargebant nudi aut sagulo leues: Scuta lectissimis coloribus distinguebant, quæ reliquisse, præcipuum erat flagitium. Tegumen omnibus erat sagum, fibula vel spina consertum: Locupletissimi veste*

veste distinguebantur, nõ fluitante, vt Sarmatæ & Parthi, sed stricta & singulos artus exprimente: Gerebant & ferarum pelles: At nunc longe alia Germanis bellandi est ratio, alia arma, aliushabitus, præsertim post bombardarum introductionem & vsum.

Seneca vt probet iracundia animos & vires corporis præstringi introducit *Germanos* hoc modo: *Quid,* inquit, *Germanis animosius? quid armorum cupidius, quibus innascuntur, innutriunturque, quorum vna illis cura est, alia negligentibus? Quid induratius ad omnem experientiam? Hos tamen Hispani Galliq;, nec non Asiæ Scythiæq; molles bello viri, antequam legio visatur, cædunt ob nullam rem aliam oportunos, quam ob iracũdiam:* Hæc autẽ vltima *Senecæ* verba si vera sunt, quî factum, quod inuicti hactenus fuerint *Germani*, omnibus aliis, *Hispanis, Gallis, Italis Britannis*, bello subactis etiam sæpius, & ab ipsis Germanicis gentibus domitis? Qui factum, quod lingua Latina in Italia, Gallia & Hispania corrupta sit, & Germanicæ linguę flexum & diuersitatem in no-

minibus & verbis receperit, vt patet omnes hasce linguas cognoscentibus. Absque dubio Germani fuere domini illarum gentium, quarũ linguas immutarunt, vt fieri solet.

Vt autem Seneca probet, quod intendit, introducit *Hispanos*, *Gallosque* leues ac molles bello viros, vt & Asię Scythiæque populos: Nam si illos æquaret vel anteferret virtute Germanis, eius oratio inconcinna foret, quod obseruarẽt inuidi: Dicit enim, quod ira etiam bellicosissimos & fortissimos populos, Germanos, adeo excæcet, vt à leuissimis & imbellibus, quales sunt illi, quos narrat, facile superentur: At nos Europæos hosce populos non pro imbellibus, sed fortissimis habemus, Asiaticos non item: Et negamus vnquam Germanos victos ab vllis eorum: Scopæ itaque sunt dissolutæ, quas Seneca adfert, in verbis philosophus & doctrinis, reipsa multis obnoxius vitiis & mentis imbecillitati, forte etiam iracundię, contra quam scribit: Non habent causas cur glorientur Itali de

facilę

facile superandis Germanis: *Audiantur Tacitus & Florus*, eorum scriptores fide dignissimi, quos in initio adduximus, longe aliud de inuicta Germanorum virtute testimonium reddentes, quamuis sint hostes Germani nominis, Romani autem amplificatores.

Quod si aliquid à Germanis Romani obtinuerint, sane non absque sanguine & cæde suorum impetrarunt, qui armati & bene vestiti contra nudos & simplici armorum genere dimicantes pugnarunt, & nihilominus plus gloriæ illis suis hostibus, quam sibi attribuerunt: Nunc vero nec deest animus, vt nec olim, Germanis, nec habitus, nec arma, quib. se defendant & hostem oppugnent: Tartarorum, Scytharum, Parthorũ, & similium numerosissimorum populorũ arcus & sagittæ nunc suspendãtur, nec glorientur illi quod hisce cœlum obumbrare, vt olim Persæ, terram tegere velint, cũ pauci sclopetarij illorum furorem retundere valeant; Quoties Hunni Attila du-

ce & *Tartari Tamerlane*, vicina Germaniæ regna, ipsamq; Germaniam ingressi vastarũt, nullis munitionib. aut oppidis eorum violentiæ resistentibus, qui nunc inuento hoc munere deterrentur & ab incursionibus depræd atoriis repelluntur? Vnde non solum dolus seu pœna, sed quoque virtus in eo dono agnoscitur: Regna, in quibus metalla, his machinis vtilia & apta, abundant, nunc habent, quo se defendant, non tantum numero, multorum, sed quoque animositate paucorum hisce machinis instructorum.

Fiunt ex Cupro, Latone, ferro & plumbo: Plumbeas in arce, Lycopoli, ferreas passim in Anglia, reliquas vbiuis fere cernimus; Aliæ vocantur colubrinæ vel serpentinæ, ob longitudinem, aliæ aliis nominibus, sunt & mortaria magni hiatus & amplitudinis, quibus globi saxei plerumque iaciuntur in altum, vt descendendo lędant, quæcunque attigerint: Suntque bombardæ manuales varij generis, quæ à maioribus non differũt, nisi

nisi quantitate & vsus modo: Ab vna enim causa, nēpe pyrio puluere incenso, omnes hæ machinarum formæ, suos effectus adipiscuntur vel validissimos vel minus validos: Sunt præterea *Petardæ* nunc dictæ, ad diffiiciendas, frangendas vel aperiendas portas, murosve inuentæ, alterius formæ quidem, sed eiusdem virtutis & efficaciæ.

Deinde multa alia ex eodem puluere fiunt incendiorum genera, tam in bellis, quam ad spectacula vsurpanda, quibus ignis Græcus & alia antiqui æui machinamenta facile in desuetudinem venerunt, vt sunt Raketti, ignes volantes, dracones & his similes: Fiunt quoque globi ferrei cōcaui insertis spiculis ab omni parte, pyrio puluere repleti, qui proiecti post certū tempus dissiliant & multa damna exercitui inferant: Horum globorum ita dispositorum medio in vallis oppidorum, si quando ea ab hostibus incursum patiantur, vnicus poterit resistere trecētis, eosq; si fors ita ferat, vno impetu occidere.

Est

Est & ictus bombardicus principalis, seu solo principe ad sciendum dignus, quo ter lõgius, fortius & certius metæ tanguntur, omnes thoraces ferrei etiam densissimi, traiiciuntur, etiam ad mille passus, & si lubet omnia lignea, vt naues, incendantur & penetrentur ad spacium integri cubiti: Hæc & his similia posterior ætas apud Germanos huic Pyrij pulueris & tormenti bellici inuento adiecit, quæ tamen non inuulgari omnino vtile est: Noui quendam, qui tribus his vltimis certę ciuitatis maritimæ consulibus apertis tria florenorum millia inde reportarit: Quãtum vero ars illa bellãdi hoc vltimo seculo incrementi acceperit, dum machinæ huiusmodi in vsu fuerunt, vel vnũ Belgium toti mũdo atteſtari poterit, vbi astutia & strategemate potius pugnatum, quam aperta acie, magis subtili arte, quam crasso Marte.

A Germanis itaq; militia ad summum apicem euecta est tãti inuenti adminiculo, quicquid inuidia Italorum

rum modernorum vel silentio prætereat vel contradictione inuehat: *Boterus ille Neapolitanus presbyter Germano huic monacho inuidet laudem inuentæ machinæ bombardicæ atque adeo toti nationi, dum pedites Germanos sub capitaneis Italis multum præclari in bellis præstitisse affirmat. Equites autem vix vnquam, quos magis oneri ait esse militiæ Germanorum, quam auxilio*: sed eius iudicium potius somnium est iucundum antiqui Romanorum Imperij, quod homo imperitus nescit, fuisse sub Germanis per totos octingentos annos, & interea temporis Italos omnes cũ Roma ipsa centies & amplius à Germanis Imperatoribus fuisse petitos, resistentes subiugatos, rebelles castigatos, proscriptos, interfectos, ipsis principes & duces datos, omnemq; nobilitatem à Germanis concessam; Mendacissimus & impudentissimus est omnium, qui hæc negare contendat, imperitissimus, qui ignoret, cum omnes historię vnanimi consensu, & ipsa possessio, in qua adhuc sunt Imperatores Germanici, id attestentur:

Mul-

Multa bella absq, milite Italico geruntur per Europam, pauca absque Germano: Quis vnquam Germanos equites propulsauit? quis non potius cataphractos, quasi *Noli me tãgere* preteriit? In Polonia, instinctu istius Cãcellarij contra bis mille pedites forte viginti millia adducta fuerunt ita, vt pauci Germani à pluribus ex perfidia aliorum (qui vt Poloni Polonis se iunxerunt) cæsi sint, Equitibus tamen Germanis, tanquam muris aheneis, intactis & libere quo vellent, discedentibus : Mirum est, decsse Germanis capita militiæ, vt ea ab Italis mutuari teneantur: Quis antiquis illis Germanis adeo bellacibus suppeditauit capitaneos, qui non solum restiterunt Romano Imperio antiquo per tot centenos annos, sed etiam id tãdem ad se transtulerunt, ante octingentos annos?

Quam inuidi, peruicaces & inualidi fuerint Itali intermedio tempore capite 2. iam ante meminimus: Imo vix credidero quẽquam Germanorum sub Italico capitaneo milita-

turum, nisi forte in Italia: At si putent isti censores nihil bellorum geri, quam in Italia à Germanis fallantur.

Taceat itaque inconsultus ille & temerarius iudex Boterus de Germanis contra veritatem iudicare, & suis asscribere, quod debetur proprie Germanorum virtuti, quodque Tacitus non ausus est in tanta Germanorum ruditate prisci æui facere: Rationem autem habet ille presbyter; quia Germanorum equi ab aratro ad militiam trahuntur, sic quoq; serui seu equites: sed & hic fallitur: Habet enim Germania forte cētum millia equorum generosorum, qui a ratrum, nec currum vnquam senserunt, sed à nobilibus, baronibus, comitibus & principibus aluntur ad suum vsum: Habet eadem numerum incredibilem equorum, qui inseruiunt curribus, & aratris: Horum vice Italia habet suos Italos hoc est, boues, quibus solis rustici vtuntur ad currus seu plaustra & aratra: Vnde credo quod Germania mille alat equos,

quos, vbi Italia vix quinos, cũ & maiores, qui haberi possint equi ex Germania in Italiam deducantur, vbi binos plerumque equites singuli, si ad aulam principis eundum sit (vt Florentię & alibi videre licet) accipiunt, magna iniuria, cum in Germania singulis saltem premantur & onerentur: Frisia generosos præsertim dat equos; qui si à ruricolis adhibeantur aratris, quid noui, etiamsi postea ad militiæ vsum inseruire possint?

Eiusdem Boteri inuidiæ, non veritatis dictum est, quod equi Germanici viso suo sanguine timidi fiant, e contra Italici animosiores: Quis hoc credat, qui animositatem horum habeat cognitam, præsertim caballorum?

Sed non est operæpretium tã manifeste falsa refellere dictis, vbi res per se loquitur: quod proaui antiqui Italorum habuerunt in factis, hoc moderni (de vulgo loquor, Gothorum, Vandalorum, Lõgobardorum reliquiis) præ se ferunt in dictis: At illi regna fere omnia subiugarunt, Ger-

Germaniam vix vnquam; Hi Germanico Imperio subiecti magnifica de se loquuntur, quæ reipsa non præstant: Sunt fateor, vt generosi equi, qui palpum sibi obtrudi adulationibus suæ gentis facile patiuntur; sed interim multi ex scriptorib. illis imperitis, ex tabula nautæ, Midæ auriculas nõ agnoscere volunt, licet sint lippis & tonsoribus notæ.

Causa vero Physica tanti impetus, violentiæ & fragoris tormenti bellici hæc est: Puluis pyrius tormẽto inditus, est in angusto spacio, cum ab vna parte sit ferrum circumquaque, ab altera obturamentum, quo incenso inq; ignem transeunte flammeum necessario maius requiritur spacium, forte millies & amplius; Hinc oportet vel machinam rumpi velocissimo motu, vel obturamentum displodi: Vnde quo machina sit longior, eo motus fit fortior & celerior, ne magnum contentum sit in paruo cõtinente, imo & certior, cum secundum longiorem lineam globulus emissus, facilius eam continuet,

vsque ad metam: Puluis pyrius autem vt hunc impetum & vim causetur, secundum tria, ex quibus componitur, triplicē habet facultatem; primo vt accendatur facilime, quæ est in sulphure, altera vt ignis incensus tanquam in fomite foueatur, ne mox extinguatur, tertia, vt adsit vis præstans impetum, quę est in sale petræ: Hic enim sal igni admotus efferuescit & ebullit, non quidem extinguens, sed pascens ignem, flammas, veluti draco euomens ac veluti infernalis ignis omnia metallica consumens, etiā chalybem ipsum, quem instar aquæ liquefacit, & vt Strutio-camelus deuorat: Strepitus fit, vt in nubibus, ex collisione corporum celerrimo motu, ne vacuum omnino fiat vel penetratio eorum mutua, pluraq; in vno loco, sibi inuicem cedentium & succedentium: Bonum itaque, quod mundus ex hoc VERO per Germanos Inuento accepit, merito agnoscendum erit, malum vero abusui tanti doni (veluti de gladio & igne dicimus) vel culpæ aliorum asscri-

scribendum : Si Reges & populi in suis regionibus & oppidis medio bõbardarum nunc sunt tutiores, quam olim, à barbarorum incursionibus, hoc post Deum, Germanorum ingenio & liberalitati annumerent, non hostium impotentiæ: Si quibusdam regna sunt quæsita in vtraque India, idem Germaniæ potius inuento seu machinę bombardicæ acceptum referendum est: Nam si sagittis res agenda, longe numerosiori exercitu (cũ & isti populi fere sagittis vsi sint) opus fuisset.

Non equidem ex vino tanta inuenta proueniunt, quæ vniuerso mundo mutationem insignem attulerunt, sed ex longe vsu & experimentis rerum: Vina immoderatius sumpta dant somnia & vmbras veritatis, non veritatem ipsam : Et si inuentio tantorum magnalium imputetur vini potationi, credo sugillatores illos semper fuisse hydropotas, nec vnquam sauciasse linguam flore Liberi, vt Comicus ait, quamuis sint verę hirudines illius liquoris,

quibus fungus pro cerebro, pepo pro corde est.

CAPVT V.

DE TERTIO VERO VNIVERSALI, LITERARIO.

Tertium Verum à Germanis inuentum est Typographiæ munus, quo permagna toto mundo mutatio facta est in bonis literis & liberalibus artibus, immensaque vtilitas ad Antipodas vsque promanauit.

CORN. *Tacitus libello, quo mores Germanorum describit, literarum*, inquit, *secreta viri ac fœminæ ignorabant:* cuius rei causa, velut ante tradidimus, incultæ simplicitati, primæque origini gentis asscribenda est: Sic literarum fuere rudes omnes antiquiores populi, quorum vnus ab alio earum arcana accepit: A Chaldæis enim Ægyptij,

gyptij, ab his Phœnices, à Phœnicibus Græci, Hiſpani ac Galli, à Græcis Romani, à Romanis Germani, à Germanis Liuones, & multi alij tanquam per manus traditas literarum notas mutuati ſunt; quibus acceptis apud Germanos creuit omnis prudentia & boni malique noticia, quid fugiendum, quid appetendum ſit, vt paulatim è rudibus & barbaris, omnium rerum periti euaſerint: Arma & militarem artem variis experimẽtis tractarunt & excoluerunt adeo vt ante dicta *duo VERA* inuenerint.

De antiquis illis tempore Romanorum incultis habitis idem *Tacitus* hæc commemorat: *In acie*, inquit, *turpe erat principi à ſuis virtute vinci, turpe comitatui virtutem principis non æquare: Infame vero & per omnem vitam probroſum ducebatur, ſi quis ſuperſtes diſceſſiſſet relicto principe: princeps pugnabat pro victoria, comites pro principe: Si aliqua ciuitas longa pace aut ocio torpuiſſet, earum indigenæ adoleſcentes petebant vltro eas nationes, quæ bellum aliquod gererent, quia ingrata erat genti quies: Pigrum & iners putabant*

sudore acquirere, quod potuisset parari sanguine. Hæc ille.

Ab hac mente ac disciplina neutiquam reciderunt Germani, sed hucvsque perstiterunt, adeo vt cum priscis recētiores eosdem agnoscas: Ad literas sero se contulerunt excolendas; Inde factū, quod Heroum Germanorum virtutes & res gestæ pingui Minerua descriptæ sint, multorum quoque silentio præteritæ, quæ si Historicos Romanos aut Græcos inuenissent, non est dubium, quin plurimi *Herculi, Theseo, Achilli, Hectori,* fictitiis eorum Heroibus, nec nō *Mutio Scæuolæ, Horatiis, M. Curtio, Camillo, Mario, Augusto, Traiano,* aliisque magnis viris non solum comparari, sed etiam anteferri possint: Habuit *Germania Ariouistos, Ciuiles Batauos, Carolos, Othones, Henricos, Fridericos, Conrados, Maximilianos, Rudolphos,* vt infinitos alios principes, comites, nobilitatis præcipuę taceam, & ex vulgo *Skoildū, Vffonem, Starchaterum, Vbbonem Fresicum, aliosque.*

Postquam vero Germani semel lite-

literarum notitiam hauſiſſent, his quoque perficiendis, vt antea militiæ diſciplinis, operam dederunt, veluti patet ex tot manuſcriptis Exemplaribus librorum in Germania peraratis magnorum operum, quæ paſſim in bibliothecis ibidem extant abſque numero: Auguſtæ Vindelicorum, Regiomonte Boruſſorum, Heidelbergę Palatinorum quot manuſcripti in pergameno libri bibliothecis habeantur incredibile eſt dictu, ne mentionem faciam centum aliarum bibliothecarum celeberrimarum per totã Germaniam diſperſarum: Regiomontanam Principis bibliothecam quadringentorũ millium florenorum pretio æſtimatam fuiſſe ab ipſo Bibliothecario recordamur, qui addidit pergamenũ manuſcriptorum, ſi ſaltem aliis vſibus pro compingendis libris adhibẽdum eſſet, quater millium thalerorũ precium excedere: Ad quæ conſcribenda magno labore & induſtria opus fuit, longoque tempore.

Nec vero pauperis erat tum mul-

tos sibi libros comparare, qui magno precio constabant, ideoque nec facile per literarum studia emergere: De *Cleanthe* legimus, quod destitutus libris, omniq; ad inscribendum materia, vngulis mulinis vsus fuerit, quibus philosophiæ arcana tradiderit, ipse Phreantles dictus, quia noctu hauriendis aquis victum comparavit, vt interdiu literis operam dare posset: De *Plauto*, quod seruus pistoris molam egerit, ac nihilominus supra viginti Comœdias omni leporis sale & eruditione refertas scripserit, traditur: Quod si illi ipsi ac innumeri alij commoditatem librorum habuissent, absque dubio longe alia ingenij monumenta nobis reliquissent.

Id cum considerarint quidã paulo ante nostra tempora, nempe ex librorum caritate multis præclaris alias viris iniici moras, ne possint altius attolli, aut in studiis præfixam metam adipisci, compendia scribendorum librorum inuestigarunt & quæsiuerunt: Viderunt enim per plasti-

cen

cen ad vnam formam multa exemplaria fingi posse, quæ singula nihil à se inuicem differant, & metalla fundi in vna matrice millevicibus. Hinc cogitarunt & literarum figuras ita disponi posse, vt ad vnũ archetypum mille & plures paginæ imprimi queant: Hic primus & quasi rudior conceptus deinde auctus & emendatus fuit, inque vsum deductus; Cumque literarum notæ sint viginti quatuor, facile fuit, totidem formas notarum inuersas excogitare, quæ inter se dispositæ, vt debẽt, efficiant verba, verba lineas, lineæ paginas.

Nec vero opus fuit necessario integra verba & lineas totius paginæ primo in lignum incidisse, veluti figuræ animalium aliæq; buxo vel pyro incidi solent ad impressionem, antequam metallicę literarum figuræ seu typi inuenti sint: Vnde argumentum, quo Bertius vtitur ad probandum Harlemenses Hollandiæ primos typographię esse inuentores, non Moguntinos nec Argentinenses, quia libri ibi impressi per tabulas

ligneas, insculptis literis, primo inuenti sint, est ex accidente ductum, nullius valoris, cum contra tota Germania vnanimi consensu, omnesque historici laudem inuentæ typographiæ Iohanni Gutenbergio Argentinensi asscribant.

Mirum est viros doctos conari adeo, vt Cornicum figant oculos & sexagenarios de ponte deiiciant: An nō per tot annos satis inculcatum est ab historicis, cui ea laus in Germania debeatur? An factum infectum verbis facere licet? Quid si Harlemenses (quos tamen omnes nō fuisse constat, sed authorem anonymum, nomine scilicet indignum) vidissent libros à Moguntinis impressos, & modum imprimendi typorumque formas, singulas pro elementorum ordine coniungendas, ignorassent, ac nihilominus imitari voluissent eo suo modo per tabulas, quibus literæ insculptæ essent, an tum error Harlemensibus subuenire possit, vt illi videantur authores eius rei, quam perperam imitando vix exprimere potuerūt, nedum primitus inuenire?

Si hæc cõclusio vera est, tum semper malus rei inuẽtæ imitator, pro inuẽtore haberi debet ac potest, & discipulus doctior magistro suo.

De tabulis illis Harlemensibus, quibus Bertius libros fuisse primum impressos, lib. 3. comment. rerum German. sub Moguntiaco ita scribit: *Artis typographicæ inuẽtionem nos alibi nostris Harlemensibus asseruimus: & ostendit nobis nuper humanissimus & antiquitatum Hollandicarum peritissimus P. Sciuerius citatum à nobis alibi Speculum salutis, nõ Belgice, sed latine editum, primum magnæ artis rudimentum, cuius paginæ glutine commissæ fuerant, vt videri possent opistographæ. Sed attentius considerantí facile apparuit non collectas fuisse literas singulas, digestasque in vocem, voces in versum, versus plures in paginam, sed singulas paginas singulis tabellis ligneis expressas fuisse, imaginibus literisque extantibus atque prominentibus, sicut sigillis & ectypis solent imprimi notæ rerum materiæ molliori, & vt ex libris ad nos è Sina aduectis apparet Sinenses libros suos adornare, quæ res vt ad finitatem aliquam cum arte typographica hodierna*

dierna habet, ita multum ad hunc à perfectione artis remota est. Nec negabunt Moguntini, quin ea saltem laus Harlemensibus nostris debeatur. Quis autem non videt facilius fuisse ingeniosis hominib. & ad res præclaras inueniendas natis ex tali rudimento progredi vlterius, & ad conceptam animo perfectionem superatis impedimentis eniti, quam protinus consummata omnia reddere & primo actu absoluta? Nihil simul & cœptum & perfectum est: Per interualla creuerunt artes & adiectione particularum incrementum acceperunt. Principiis autem recte inuentis, facile est aliquid adducere, & quo quis magis ingenio pollet, eo est ad perficiendum aptior: Sic factũ in pictura; sic in sculptura, sic in ipsa sapientia: Et paulo post: *Non ergo mirum, si Harlemenses nostri, qui primi apud nos tabulas ectypas inuenerunt & libros tabulis illis impressos suo commodo condiderunt, iidem quoque inuitante lucro, impellente genio, ducente arte, inuenerunt modum literas singulares seorsim dispositas colligendi, easque in syllabæ, vocabuli sententiæ, versus ac paginæ modulum compingendi, cum hoc illo multo fuerit facilius & à maioribus ad nos transmissæ narrationes (quæ*

fraude

fraude & fuco caruerunt) illud ab iis factum testentur, resque omnino per se sit vero adfinis: Postea addit: *Vere Germanorum hæc laus est, siue Harlemensibus ea tribuatur, siue Moguntinis.* Hæc ille.

Verum est, hoc inuentum deberi Germanis, sed inter hos quis vnquã asscripsit Harlemensibus? Nil ad me Moguntini, vt nec Harlemenses, sed veritas, quæ defendenda est: Argentinenses non soli hoc sibi deberi affirmant, sed tot docti in Germania, & communis omnium sentẽtia; Authoris nomen exprimitur, nempe Iohannis Gutenbergij, annus inuentionis additur, nempe Anno 1440. locus quoque non præteritur: nempe Argentinæ, vbi inuenit & Moguntiæ, vbi perfecit: Monstrantur libri primis eius typis excusi, veluti adhuc Basileæ in bibliotheca Academica eiusmodi reseruatur, qui non est eius perfectionis & elegantiæ, qualis nunc habentur typis impressi: Idem confirmat non vnus aut alter, sed centies mille, & nemo contradicere potuit vnquã,

vel

vel hanc laudem sibi vendicare, nisi quod nunc proferantur tabulæ ectypæ absq; authoris nomine, sine persona & tempore.

At istæ tabulæ nihil probant contra apertam veritatem, vel contra omnem antiquitatem: Iam ante diximus, argumētum esse elumbe, quod ducitur indè; quod artes non statim perfectæ inuentæ sint: Etsi enim hoc verum sit, tamen non semper conuenit, sed vt plurimum, & propterea non sequitur, Harlemenses tempore & inuentione fuisse priores, quia artificio & perfectione sint inferiores Moguntinis: Arcades se gloriabantur ante lunam natos fuisse, eaq; antiquiores esse; ratio erat, quia principem habuerint Proselinum dictum, à quo ipsi Proselini quoque vocitati sint: Sed quis credat huic fabulæ? Aliud est dici, aliud est esse reipsa Proselinum: Sic aliud est tabulas ectypas imperfectas fecisse, aliud est, typographicam artē inuenisse: Probetur, quod ante tempora Gutenbergij istę tabulæ expressę fuerint eo

vel

vel illo certo authore; idq; testimoniis indubitatis, hoc si fit ipsis tabulis principia artis Harlemensibus quid ni asscribamus?

Phrygij & Ægyptij altercabantur de originis suæ antiquitate, donec Rex quidam infantem recēs editum iusserit in syluis à muto Caprario enutriri lacte caprillo, & obseruari, quā vocem omnium primo editurus esset: Longo tempore post cum esuiret puer, accedente pastore, clamauit, beccum, quod Phrygum lingua panem significat; Vnde Phryges antiquiores se dictitarunt: At Ægyptij obiecerūt, non mirum, si infans beccum dixisset, quam solam vocem à capra nutrice per totam vitam audiuisset: Atque ita res in dubio mansit: quod hic non opus est fieri, quia Argentinensibus omnis & vnica laus debetur & inter eos Iohanni Gutenbergio inuentæ artis typographicæ, etiamsi sint, qui, nescio quas, voces contra sonent, vt suam antiquitatem probent & illorum refutent: Vicit enim apud illos amor patriæ, vt apud pue-

puerum cum vox nutriculæ. *Philippus Beroaldus* elegantes versiculos de hoc *Germaniæ VERO* inuento fecit huiusmodi:

O Germania, muneris repertrix,
Quo nil vtilius dedit vetustas,
Libros scribere quæ doces premendo.

Quod cum ita sit, atque hinc Germaniæ laudes ab omnibus doctis & veritatis amantibus decantatæ extent, Inuidia & detrectatio apud nonnullos inde exarsit, qui si possent absque suspicione falsitatis, totum hoc à Germanis alienarent & nescio cui attribuerent.

Inde cum hoc VERVM post primam sui inuentionem adhuc inter arcana haberetur, quidam ex nouis hisce artificibus se Venetias, alij Romam, nonnulli in Angliam, alij alio lucri sui faciendi gratia contenderunt: Qui Romam primus se contulit, *Vlricus Han* vocitatus Gallũ se nominauit, vnde alij ignari eius nomen patronymicum ad populum Gallicum detorserunt, existimantes eum gente fuisse Gallum, cum tamen *Han* re-

reuera saltem cognominatus & natione Germanus fuerit: In hoc error magis ambiguitatem peperit in nomine; vt idiomatis ignorantia errorem, quam inuidia, ideoque excusatio hic non deerit: Wimphelingus c. 65. de hoc nouo per typos scribendi genere inuento & excogitato à Ioanne Gutenbergio sic scribit: Anno 1440: *magnum quoddam ac pene diuinum beneficium collatum est vniuerso terrarum orbi à Iohanne Gutenberg Argent. in nouo scribendi genere reperto: Is enim primus artem impressoriam vel excusoriam in vrbe Argentinensi inuenit: Inde Moguntiã veniens eandem fœliciter compleuit. Interea Iohannes Mentel id opificij genus inceptans, multa volumina castigate ac polite imprimẽdo, factus est breui opulentissimus. Sixtus Rusinger Argẽtinus Neapoli, an. 1471. libri quomodo inprimi possint, primus mõstrauit. Sub idẽ ferme tempus Vdalricus Han formas librarias, rem inauditam, nec vnquam Romanis visam, Romã attulit. Fuit is natione Germanus, cognomento Han, id latinis gallũ gallinaceum significat, quod ideo scribo, quia Campanus & aliquot docti existimauerunt*

hunc Vdalricum natione fuisse Gallum quod falsissimum est: Is tamen error ideo emanauit, quod cognomen familiæ traductum fuisset in latinum. Hæc Wimphelingus.

Sed Boterus, eiusque sequaces alij ad Chinenses respexerunt, cumque aliquid simile huic artificio apud illos ante mille annos in vsu fuisse animaduerterint, non inuentam primitus à Germanis Typographiam asserunt, sed renouatã & quasi restauratam: At illi caninam potius facundiam exercent, quam Veritatem loquuntur: Liuor illis peperit glaucomam in mentis oculis, ne cernant quod verum est: Indigni sunt prorsus respõso in tam aperta falsitate: Absque dubio Germani id à Chinensib. mutuati sunt ante ducentos annos: Cur vero *Marcus Venetus* non secum hoc artificij *Venetias* vel *Romam* siue *Neapolim* apportauit, vt Itali fuissent amissæ apud Europæos artis restauratore, non Germani?

Artis aruspicinæ author primus *Tages Hetruscus* traditur, quæ cum ars esse desierit, lausquoque eius inuentio-

tionis periit: Sed *artis typographicæ* inuentę laus alteri nec asscribi, quã par est, nec emori poterit, dum homines & librorum vsus fuerit: Ipsa se defendat Typographia & pro se loquatur, cuias sit, an *Chinensium*, an *Germanorum* inuentum?

Fatemur eas gentes esse soli proximas, vtpore in India sitas, neutiquam tamen Deo, qui dat mortalibus vtilia & perfecta dona: Impressio per integras tabulas ligneas, insculptis literis, non est tanti artificij nec vsus, veluti sunt typi colligẽdi in voces, versus & paginas: Hoc est opus *Germanorũ*, illud per plasticẽ iampridẽ cognitum: Literas omniũ primas reperisse magnæ fuit artis & subtilioris ingenij, cuiuscunq; gentis aut linguæ fuerint; Eas autem imitari, licet aliis lineamentis & idiomatis, nõ adeo difficile extitit, cum à voluntate sola imitatoris pependerint: Sic *Mosen* tradunt *Hebraicas* exarasse literas, *Cadmum Phœnicẽ* græcas, *Nicostratam* latinas, *Abrahamum Syras* & *Chaldaicas*, *Isidem Ægyptias*, *Vulfilam* Getarum.

Sit ita, sed soli Germani Typographiæ, de qua hic agitur, vsum reperisse tam certum est, quã quod certissimũ, Chinensium vero rudimentum non spectare ad eam, sed ad tabularum expressionem, in quib. notæ vel lineæ aliquid denotantes remansere albæ, reliqua materiæ pars tota nigra appareat: Si sapiunt, illi nũc ad Germanorũ cognitas imprimendi rationes se applicabunt, suosq; libros per typos metallicos nostratib. similes imprimẽt; at nos non ad illorum incognitorum incognitos imperfectionis modos vnquam respeximus: Vt nigrum & album à se inuicem distant, sic Typographica ars Germanorũ à Chinensium imagunculis: Illic sunt integræ tabulæ, hic typi singulatim, illic materia est lignea vel metallica durior, hic sola metallica mollior ex peculiari mixtura metallorũ facta; illic notæ sunt incisæ & remanent albæ, cæteris nigris, hic extant & fiunt nigræ, reliquis albis.

Sed de his satis: Germani sunt in laude

laude inuentionis Typographiæ, sic quoque manent in possessione eius vsus, cum libri imprimantur notis literarum præsertim in Latino, quibus vsi sunt Germani vtplurimum in scribendo: Nam credibile est, si alia natio, quæcunq; sit, typographiam primo inuenisset, quod in literarum formis sculpendis & imprimendis, propriis notis vsura fuisset, non alienis: Adhæc librorum per magnam Europæ partem quolibet semestri impressorum, qui vendi debent, mercatus in media Germania, Francofordiæ ad Mœnum & Argentinæ recte instituitur, non alibi, vt Germani, qui curam habuerunt inueniendorum typorum, non carerent eorundem vtilitate in vendendis & distrahendis libris impressis: veluti mercibus.

Vera autem vtilitas, quæ ex doctrinis librorum per impressionem propagatis & ex scriptis ad literatos tam imperitos quam peritos, doctos & indoctos peruenit, vniuersalis est, & se extendit ad omnes nationes, regna & populos, eorumque omnis ge-

neris ordines & facultates: Reges enim, principes, comites, barones, tã ignobiles, quam nobiles, tam seculares quam ecclesiastici, theologi, medici, iurisconsulti, philosophi, historici, poetæ, omnesque alij ex vna arte Typographica multũ se in rerum cognitione adiutos fatebuntur.

Si vel sola Biblia seu sacræ historię Prophetarum, Euangelistarum & Apostolorum essent per hanc artem communicatæ omnibus gentibus Christianis, nec quid pręterea aliud, esset munus tamen inæstimabile, cum notum sit in Christiano orbe nunc multas myriadas sacrorum bibliorum extare, quæ ante notam impressionem non fuerunt.

Quamuis non ignorem, esse qui hoc vnum dent typographiæ vitio, quod sacras literas inuulgarit, quas celatas voluerunt, vt isti dispensatores earum aucupio vtilitatis suæ non destituerentur, aut quid agerent, conspicerentur; Nemo enim vult, vt alius suos rationũ libros inspiciat vel diaria, vnde ipse animaduertat, quid

quid agatur, quid non, quid debeatur, quantum sit lucri: Ita nec illi aruspicinam (cuius sunt inuentores) omnibus notam voluerunt, at solis sacerdotibus, nec Theologiam Christianam: Nam, quod Cicero dixit, *mirũ est si aruspex aruspicem videat & non rideat, de se dici posse existimarunt*, si illorum acta & opiniones cũ sacris eomparantur literis, ab aliis, quam mystis & antistibus. Verum vt aruspicina, dum tegeretur, mansit ars ex opinione hominum, cum inspiceretur, reiecta est, sic contigit cum eorum ad solam vtilitatem, honorem & potestatem suam directa opinione, innumerarum hæresium (nisi obstaret illud, IPSE dixit P.R.) matre, de qua post.

Verum inuento hoc VERO Typographiæ munere, sacræ in lucem prodierunt literæ, & virga Aaronis de nouo folia & flores recepit, vox Euangelij in deserto proclamata in multis ciuitatibus audita est, vineæ protruserunt gemmas & botros portarunt innumerabiles; Apro eas va-

ſtanti & lupo ouile Chriſti circumeunti occurſum eſt: Doli & fraudes multorum, ſaltem lucro inhiantium, deprehenſæ fuerunt, at nemo auſus eſt mutire, vt nec oues, quæ à crudeli paſtore deglubũtur, vt earum non ſolum lana, ſed & pelle fruatur: ſed cecidit Babylon, & omnes, qui eam agnouerunt, lætati ſunt in Domino: Typographia inuenta à Germanis non exiguum adminiculum fuit tanti lapſus.

Obiectio. Sed alij dicent, per hanc hæreſes potius diſſeminatas, quam veram doctrinam, quæ fuit in ſcriniis pectorum quorundam ſolidata, illuſtratam: *Reſponſio.* Reſpondeo, Hæc ars donum eſt Dei excellentiſſimum, cœlitus in humanas mentes delapſum & in vſum deductum, cumque eo haberi, vt cum pluuia diuinitus miſſa in magna ſiccitate, tẽpore præſertim verno: Hæc expectatur & deſideratur ab omnibus, cumque in terram deſcenderit grato hiatu eius recipitur: Hinc plantæ frugiferæ, & ad vtilitatem hominum ſpectantes, vires & in-

crementum recipiunt, folia & flores producunt, radices firmant & spem fertilis anni, annonæque vilitatis, promittunt: At eadem pluuia herbæ inutiles accrescunt adeo, vt vtiliores supprimant, erucæ & papiliones innascũtur arboribus, quæ deinde depopulantur earum folia & tenellos fructus; vnde spes prius concepta de fertilitate anni valde imminuitur & multum dubij admittit.

Similiter factum cum Typographia, quæ & veritatem propagat & hæreses seu prauas opiniones nõ supprimit, quod culpa hominum accidit, non artis: quod si illi hac caute vterẽtur, vt deberent, vtilitas eius foret incomparabilis: Per eandem Typographiam Medicina corporis humani quoq; efflorvit, vnde ægri maiore cura & diligentia sanitati restituti, libitinæ non ita exercitæ, Plutoni multi diu detracti & Respublicæ plurimum senserunt commodi: Hoc vnum est remedium contra tineas & blattas, corrodentes libros, omnis eruditionis inimicas & amu-

sas, dum renouãtur antiqua volumina non in vno aut duobus exemplaribus, veluti animalia quædã, quot annis vnum aut binos fœtus edentia, sed mille aut bis mille, ceu fructiferę arbores : Hæc est vera barbariæ victrix armataque Gorgone Pallas, ex ingenio humano nata & in lucẽ producta, vt sapientiam rudibus instillet & aduersarios eius confundat, hoc est, in saxa & lapides conuertat.

Typographiæ Germanicæ Salus animæ & sanitas corporis in homine gratias merito agunt, quia vtraque multum per eam promota sit: Eidem Themis, iustitiæ gubernatrix & Astræa plurimum debent, quarum leges longe celerius & certius circumferuntur illo Talo Cretico, qui insulã eam ter in die obiuit & Iouis mandata omnibus legenda & audienda proposuit: Philosophia omnis Typographiæ laudes prædicet, Musica melicos modos, Poetica Anacreonteos illi concinat, cum per eam veluti ministram hæ Reginæ decoratæ sint: Coticulam hæc ars optime re-

præ-

præsentat, quæ ipsa nil acuti habens, acuit tamen cultellos & alia, dum omnes, quib. dona sua distribuit, reddat doctos & scientes, licet ipsa doctrinæ & scientiæ parum possideat.

Sed optandum foret, vt non ab Idiotis, literarum & omnis scientiæ rudibus, vt plerumque fit, exercerentur, nec tantum priuatum lucrum publicæ vtilitati anteferretur, tum omnia essent in longe meliori statu, quam sunt, literarum monumenta: Sordidus enim lucelli odor, quæcũque attingit, sordibus inficit, quod apparet in plerisque optimis artium donis & inuentis, ac præsertim in hac arte omnium excellentissima: Hic est *Pegasus* ille alatus, cui insidet *Bellerophon* seu *Perseus*, hic vt *Medusam*, ille vt *Chimeram* trucidet; hoc est, vir bonus & literatus, seu philosophus, vt ruditatem, bestiam immanissimam, iugulet: Per typographiam enim inscitia extirpatur & quasi occiditur, & fons scientiæ, veluti per vngulã *Pegasi* in *Parnasso*, aperitur: Hic est, *Musarum Triton* seu ebuccinator, buccinam

nam inflans, quæ auditur per solum terrarum orbem: Hæc est *Fama* volucrum habens pennas leuissimas, quibus mundum peruolet, centum vel potius mille linguas, totidemque ora, ac ferream vocem, qua *Stentora* superat: Hic est publicus Notarius hominum actiones, contractus, inuenta & consilia mandans perpetuę memoriæ, vindicansque ab obliuione bene vel secus facta, vt authores vbique suis afficiantur præmiis vel pœnis: Hic est, *Ægeon qualis, centum cui brachia dicunt, centenaſque manus* quib. scribit, quæ publicanda sunt: Hæc est *Iuno Lucina*, quæ iuuat in lucem vt prodeãt tot ingeniorũ fœtus aut *Palladες*.

Germanorum itaque Inuentum totum illustrauit orbem, vt Sol terrenus, nec solum terram & regna ditauit, sed animos quoque hominum instruxit disciplinis & artibus, *Tabulamque Mentis* nudã noticiis & axiomatibus.

Hoc est Verum, quo Vera omnia commemorantur & æternitati consecrantur: Vnde mundus mutationem

passus

passus sit, dum pauperes & mediocris fortunę homines comparatis vili precio libris & ex his omnis generis doctrinis & scientiis, euehuntur ad maiores dignitates, suosq; secum subleuant: Vbi antea vix fuit torrens eruditionis, ibi nunc mare redundat; vbi vix scintilla *Promethei*, ibi nunc est focus luculentus, non minus *Palladi*, quam *Vestæ*, communis: Antiquitus Ægyptus scientiarum mater celebrata est, quia inuenit Geometriam, nempe eorum *Mercurius*, qui *Theut* dicitur, & præterea numeros, supputationem & alearum lusum, at scientia syderalis *Belo*, ratio musica *Amphioni*, ars memoriæ *Simonidi*, præcepta Rhetoricę *Coraci & Ctesiæ*, cōflatura auri & metallorum *Cadmo*, vt & lapicidina; perpendiculum & ascia *Dædalo*, *Anacharsi* follis, anchora, bidens, figuli rota, Syris catapulta, Balliſta & funda *Phœnicibus*, assc̄ribuntur, ex quibus nil adeo magnum aut vtile est, vt cum arte *typographica* comparari possit: Ea vni genti forte conduxerunt, alteri non item, hæc

omni-

omnibus: Illorum vno vel altero carere liceat absq; magno incommodo, non autem literarum typis vel scriptione cum iis celerrima: Duo enim hac arte instructi tantū scribunt vno die, quātum alij non in anno integro aut quingenti vno die.

Antea diximus sub præcedēte capite, medio pyrij pulueris & globi ferrei dissilientis vnum posse trecentis vel plurib. resistere vi armata irrumpentibus in vallum alicuius oppidi, hic de compendio loquimur, quo vnicus in scribendo totidē fere æquualeat: Non hæc ex Vino, quod copiose sumptū retardat mentem, manumq;, sed ex *Palladio* ingenio extusa sunt: Si quis in his carpendis *Momum* aut liuidum *Theonem* egerit, ipse meliora aut vtiliora genere humano inueniat, aut hisce nobiscū vtatur absque detrectatione: Si nulli hominū ex innato odio & peruersitate possit, tamen Deo pro tam magno & excellenti dono gratias agere tenebitur, aut ingrati vitiū, quo multa tegūtur mala, secum reportabit ad inferos.

CA-

CAPVT VI.

DE QVARTO VERO VNIVERSALI, THEOLOGICO.

Quartum verum à Germanis inuentum est purificatio doctrinæ Theologicæ & abusuum humanorum sublatio; cuius vtilitas etsi à multis contrariæ opinionis nō æstimetur, manentibus in sua mentis cæcitate, tamen Christiano orbi maxime salutaris extitit.

ANtea, *sub vero Politico à Germanis inuento, recensuimus* Romanos non equidem ingenio aut corporis robore potiores, sed solo tempore priores fuisse Germanis in acquisitione scientiæ literarum, totiusque Imperij, quod cum possiderent, non desierunt Germanos bellis irritare potius, quam superare, donec ab illis concursu

cursu populorum in prouincias Romanorum ac ipsam Italiam facto de Axiomate Imperij decertatum sit: Nec vero totis quingẽtis annis à prælijs & incursionib. cessatum est quasi continua lucta, quousq; Carolo Magno Auspice, & Othone Magno duce ex Dei nutu imperialis Dignitas ad Germanos translata & deriuata sit, apud quos adhuc in summo flore existit: Verum cum se Romani hoc decore spoliatos, quod nullis corporis viribus retinere incolume aut recuperare amissum liceret, viderunt, vbi Leonina non processit, vulpina ipsis induta est pellis: Animaduerterunt enim Regum aut Principum Christianorum animos, nunc mitiores factos, ad Religionem colendam, quam bella gerẽda promptiores, adeo vt quicquid bonorum sacro vsui aut sacerdotum superfluitati cõferrent, se ipsi Deo & animæ suæ saluti consecrasse existimarent.

Hãc superstitionem ad quam humana imbecillitas prona est, auxerunt Romani illi Antistites, qui vniuer-

uersalem inspectionem omnium ecclesiarum iam ad se rapuerant, multis & diuersis introductionibus, quibus tanquam carceribus, conscientias hominum presserunt & ad summas angustias redegerũt, vnde liberari non possent, nisi volente illo vno R.E. qui se Põtificem dixit, quia Imperatores Ethnici quoq; Pontifices se vocari volebant: Miratur autem *Buchananus* festiuo hexasticho, quomodo pastor Ecclesiæ Romanæ dominetur ouibus Christi, dum inquit:

Non ego Romulea miror quod pastor in vrbe
Sceptra gerat, pastor conditor vrbis erat.
Quumque lupæ gentis nutritus lacte sit author,
Nõ ego Romulea miror in vrbe lupos:
Illa meum superat tantum admiratio captum,
Quomodo securum seruet ouile lupus.

Et alius:

Flumen apud superos nullũ est, quid pontibus ergo
Est opus, aut opus est deniq; pontifice?

Verum apud infernos cum tot sint flumina & amnes,
Illi habeant pontes pontificesque suos.

Sed his acutis omissis & ad suos authores relatis, putamus Pontificem & pastorem Romanum, siue Papam optime congruere: Apud Ethnicos enim Romanos erat *Pontifex Maximus*, qui summam sacrorum omnium curam habebat, reliquorum omnium princeps, iudexque rerum maximarum, quæ ad religionem pertinebant, vindexque contumaciæ magistratuum & priuatorum hominum: Rex sacrorum proxime accedebat ad Pontificis Maximi authoritatem, & designabatur ab ipso pontifice & Auguribus: Isque procurabat ea sacra, quæ olim à regibus factitari erãt solita, & soli pontifici subiiciebatur: Tertio loco erant Flamines, dehinc Duumuiri, Decemuiri vel Quindecimuiri: Illi erant assessores pontificibus, hi præfecti custodiæ librorum Sibyllinorum: Post erãt sacerdotes, Feciales, Septemuiri, Vestales, Augures, Aruspices: Victimæ per popas

cæ-

cædebantur, qui ipsi erant aruspices: Popæ vel papæ itaque nomen est infimi ordinis & pontifex summi: Vnde non immerito seruus seruorũ Dei se appellauit Gregorius Pontif. Max. Binæ ipsi claues, Fulminis seu Excõmunicationis & Indulgentiarum: quibus vtitur, hac ad gratiam, illa ad pœnam.

Nec vero difficile fuit hisce clauibus cœli & inferni impetratis, claues quoq; ad regna & Imperia, magnasque ditiones inuenire: Quis enim adeo potens est, vt si claui infernali resistat, non ab ea dometur & detrudatur? Exemplo sint tot Reges & Imperatores ante commemorati: Quis adeo impotens, vt non ex gratia clauis cœlestis attollatur, diuitias & potentiam acquirat? Testes sint tot donati magnis dotibus, ne dicã regnis ab illa Ecclesiastica potestate: Huic subiicitur omne, quod magnum est, & conculcatur pedibus, stat ad frenum muli & stapedem, quod officium nisi quis male audire & calcari in ceruice velit, strenue gerendum est:

Ille se vocat solẽ, qui dat Lunæ (quasi Imperatori) lumen, qui omnia iuraq; qui, honesti, boni & scientias diuinas & humanas in scrinio sui pectoris habet: Ille imperat Angelis, vt quibus bene velit, eorum animas deportent in Paradisum: Ille dat indulgentias tanta vbertate, propter pecunias numeratas, vt si quis virgini Mariæ (fuere illorum abominanda verba) vitium intulisset, gratiam mereretur: Si quis hæc neget, ipsi veritati contradicit & palliare hominum vitia, quæ potius infestanda forent, nititur: An ne hi sequentes versus *Biturigibus* aræ Cardinalis inscripti in æde S. Stephani leguntur?

Hic des deuote, cœlestibus associote,
Mentes ægrotæ per munera sunt ibi lotæ,
Ergo venitote gentes de sede remotæ,
Qui datis estote certi de diuite dote:
Te precor, accelera, spargas hic dum potes æra,
Et sic reuera secure cælica spera;
O si tu scires, quantum data profit ibires;
Tu iuxta vires donares, quod dare quires,

Te

Te miser à pœna, dum tempus habes, alie-
na,
Vt tibi sit pœnæ venia, sit aperta crume-
na,
Cõsors cœlestis fabricæ, qui porrigit est is:
Ex hoc sum testis, vos hic mundare pote-
stis:
Crede mihi, crede, cœli donaberis æde.
Nam pro mercede Christo dices, mihi ce-
de:
Hic datur exponi Paradisus venditioni;
Currant ergo boni, rapientes culmina
throni,
Vis retinere forum? mihi tendas pauca
obulorum,
Pro summa quorum reserabitur aula po-
lorum.
Hic si large des, in cœlo sit tua sedes.
Qui serit hic parce, parce comprendit in
arce:
Quid tardas? tantum nummi mihi des
aliquantum,
Pro solo nummo gaudebis in æthere sum-
mo.

Hæc est Rhetorica verborum phaleris ornatissima: Pro sancto enim denario occupando quis non tan-

ta rythmorum consonantia vteretur.

Nec vero dentifranguli illi circulatores, vt quid lucrentur ab astantibus aut prætereuntibus, ita sciunt magnifico hiatu sua (licet vilissima & ne cassa nuce æstimanda) attollere & varietate sermonis colorare, quam hic indulgentiarū nundinator gratiam Christi; *Ita*, inquit Bertius, *Ecclesiastici homines spirituali dignitate abusi, potentiam Christi in licentiam verterūt & ex animarum medicina aucupium fecerunt honorum & diuitiarum, longe iis dissimiles, quorum nomen profitebantur, hoc est, Apostolorum.* Et paulo ante: *Sanctorum quorundam virorum, inquit, cura domita sunt fera Germanorum pectora, & quos non potuerunt Romanorum Aquila superare, eos sub iugum misit facilis & benigna Christi lex.* Deinde: *Vtinam modo cœlestem priorum impetum profana dominandi ambitione & inexplebili auaritia non corrupissent: Certe illorum pietati non responderunt posteri, sed vbi ipsi in spiritu seuerunt, ibi istorum plerique in carne messuerunt, siue id humanarum rerum vitio factū est, primum vir-*

virtutis impetum atque ardorem cum tempore remittentium, siue pia fraude, quod statuerent in ea seculi deprauatione non posse nisi cum externo splendore & pompa Christianam legem defendi & conseruari, siue denique simplicitate quadam principum & iudicij infirmitate, dum crederent, quæ Christo dari vellent, optime in istum ordinē conferri: Equidem cum profusas illas Chlodouæi, Pipini, Caroli Magni, Ludoici Pij, aliorumque largitiones video, subit animum meum dubitatio, vtrumne illi plus Christianitati profuerint dando, an obfuerint: Et, an vt ipsis tam multa dare fuit laudabile, ita aliis honestū fuerit, tam amplas opes in terris accipere & possidere: Vidit hoc & notauit in hac ipsa causa Otto Frisingensis Episcopus, Friderici Barbarossæ patruus, qui cum se expedire non posset, solo Ecclesiæ facto rem defendit; quasi id circo recte factum esset, quia factum esset ab Ecclesia: Si dicis, inquit, *seculari personæ dare licuisse, quod istam ex sanctitate officij habere nec decet, nec expedit: ad hoc, fateor, aliud effugium nescio, nisi quod sanctos Apostolicæ fidei viros, Syluestrum, Gregorium, Vlricum, Bonifacium, Lampertum, Gothardum, aliosque complures*

ea cognoscimus habuisse: Ego enim, vt de meo sensu loquar, vtrum Deo magis placeat hæc ecclesiæ suæ, quæ nunc cernitur exaltatio, quam prior humiliatio, prorsus ignorare me profiteor: Videtur quidem status ille fuisse melior, iste felicior. Adsentior tamen Romanæ sanctæ Ecclesiæ, credendaque quæ credit, licite possidendo, quæ possidet, credo. Hæc Otto.

Quod si hęc vltima verba non addidisset, priora quid hæreticæ prauitatis redoluissent: Facile enim factũ fuisset, vt nutu P. R. ei quid de opibus (forte ipso Episcopatu) detractũ fuisset! An non status Ecclesiæ melior est fœlicior, aut an fœlicior non est melior? Estne Ecclesia destituta bonis multis temporalibus eo infœlicior, alias ecclesia Apostolorum tempore fuisset infœliciſſima? Et econtra quo quis ditior, eo quoq; beatior esset in ecclesia: quæ tamen videntur absona à veritate: Christi enim ecclesia floret sub cruce, persecutione & paupertate: Nec statuendum homines, qui se ecclesię Romanę caput faciunt & columnas, errare

non

non potuisse; cum senior Apostolorum Petrus quoque errarit, vt in Actis patet: Canon enim recti non est Carnalis homo, sed ratio, Scripturæ sacræ innitens.

Hæc omnia cum aliqui ex sapientioribus Germaniæ tam Episcopis, quam aliis doctissimis viris intellexerint, coaceruarunt quidem varia grauamina, quibus à Romana sede premerẽtur, inter quæ mercatus indulgẽtiarum & pecuniarum exhaustio fuit non minima, at surdis narrarũt fabulas: Nihil enim præter risum & lusum ex aula Romana domum comportarunt in Germaniam: In multis locis tum mussitatum est de tantis abusibus Romanorum Antistitum, qui sub specie religionis durius pressérunt conscientias Germanorum Christianorum, quam vetustissimi illi Ethnici Imperatores Romani, horum corpora, quæ in seruitutem rapuerunt: His enim vi & robore ciuili resisti licuit, non autem sanctis & vnctis illis pontificibus, qui Iouis Capitolini fulmina in vna ma-

nu habuerũt, in altera lanam, plumbum, sal, aquã, oleum, cineres, Bacchum & Cererem, gratiæ & indulgentiæ insignia: Mussitatũ quidem, at nihil clare dictum factum: Waldenses taxarunt hos abusus, at tacite, habueruntque sua conuenticula in locis secretioribus, ne innotescerent: Tales 36. omnes ciues Moguntini Bingæ exusti sunt sub Archiepiscopo Mogunt. Conrado, Barone à Weinsperg, qui sedit ab Ann. 1388. in Ann. 1395. Wiclefus quoque Anglus & Ioannes Hussus cum Hieronymo Pragensi idem Constantiæ in concilio circiter A. 1415. experti sunt, hoc inuento axiomate Papistico, etiamsi Cæsar alicui saluum cõductum promittat, tamen hæretico non esse seruandam fidem: Si Turcæ, si Ethnico & Iudæo seruanda est fides, quid ni Christiano? Si id deceat omnem bonum virum, qui ni bonorum optimum Imperatorem? Præualuit hæc eorum sententia & cõbusti sunt duo illi viri, quorum virtutes, doctrinam & constantiam cũ admiratione prædicat

dicat Poggius Florentinus in Epistolica illorum descriptione : Quantum vero funerum Bohemi postea integris 30. annis dederint, testantur historiæ : Hi sunt fidei non seruatæ fructus & tyrannidis Ecclesiasticæ genuinæ notæ.

Circa hoc tempus multorum cogitationes, gemitus & vota fuere de hac oppressione plus quam Babylonica, eiusque liberatione, sed inania: Nullus ex muribus Cato tam astuto & valido se opponere audebat: Monachus Sauonarola cum socio, vel A.C.1497
my dictitans, combustus est: An non fructus eius potentissimi fulminis est regnum Angliæ, quod regnante Iohanne suis pedibus subiici & à sese feudi vice sumi voluit & impetrauit: Vnde annuum inde tributum à singulis capitibus exegit.

Quid loquar Siciliæ & Neapolitanum regna? An non hæc duo binis ictib. sui Fulminis accepit, in illo trucidatis omnil . Gallis vna hora, qui- A.C.1282
bus primo oc upandum deuouerat, in hoc post decollationem regiæ &

Im-

A.C.1268. Imperatoriæ sobolis, hæredis, detestabili facinore? Cætera ne prosequar, hoc scitum est, omnem Pipini regis Franciæ (qui vero rege in monasterium incluso à Papa rex factus est, à iuramento regi præstito vna cũ magnatibus aliis absolutus) posteritatem Papæ multum retulisse gratię, magnaq; dona dedisse, nec vnquam quid tentasse, quod Papæ aduersum esset: Papa igitur Maior domus id officij habuit post in regno Galliæ, quod Pipini maiores habuerant ante, hoc est, quod simul regnaret: Inde titulus Christianissimi debebatur Franciæ regibus, veluti alius aliis eodem iure: Ille enim dat titulos, quibus feuda, & iure feudi eos fidelissimos sibi & iuratos experitur: An non eo tempore tres potentissimi Reges ipsi iurarunt, vt decet feudales?

Illi sunt fructus eius dextræ fulminantis, quos in siniſtram gratiosam reponit, & dat mutuo suis dilectis & fidelibus, sub clausula, *quatenus sunt obedientes.* S. Petri gladius auriculam saltem semel abscidit, Pontificis ve-

ro

ro est longe acutior, quia integra regna à regib. non ipsi placentibus separat: S. Petro promissum fuit, vt pro piscibus homines piscaretur: At Papa pro hominibus coronas, populos & magnam mundi partem in suum rete abducit: Ille erat pauper, qui ne asinum, cui inequitaret, habuit, ambulans nudis pedibus, inermis: Hic quantum equitatum circum se habeat, quos equos, mulos candidissimos, lecticas & quãtum comitatum, incredibile est dictu: quem si ille videat, quæ dicturus esset?

Hæc considerent alij, nobis satis sit scire, aliquali modo, quis status ecclesiæ Romanæ centum ab hinc annis, nempe A. C. 1517. fuerit: Tum, vt præsul Moguntinus Pallium cum lana & plumbo decoratum acciperet, Romanæ sedi magna pecuniæ summa numeranda fuit, forte viginti millium florenorum: Inde illi Indulgentiarum arca aperta fuit, & quantũ vellet, gratiæ & veniæ à peccatis commissis & committendis, attributum: Mercatus instituitur per oppi-

oppida & ciuitates Germaniæ ebuccinatore Tecelio quodam: Huic se opposuit cordatus Theologus Witebergæ tum professor existens, *Doctor Martinus Lutherus, Saxo*, affixis thesibus contra flagitiosas illas indulgentiarum merces in loco publico, ipso die omnium Sanctorum: Disputatum est & tumultuatum contra Lutherum vnum & solum à Papæ addictis præconibus, & nomen hæretici, tanquã iaculum, illi sæpe iniectum. Quantæ hinc turbæ extiterint, Sleidanus narret & aliæ historiæ doceant.

En vnus stat Saxo immobilis, Saxei prorsus cordis, Saxeis pedibus, acuto ingenio, prompta lingua & celeri calamo, & contra eum omnis Potentatus tam secularis, quam ecclesiasticus, Leo rugiens triplici diademate, vnguibus & dentibus ipsi Diabolo timendis, minax & truculẽtus, cui omnia fauebant ex more animalia, Aquilæ, leones, vrsi, & bipedes quotquot erant: Nihil illi Saxoni auxilij vel confortationis à quoquã adhi-

hibitum, nisi quod *Diues pacis* Heros rutacea eum donarit corona, cuius virtus fuit cor à venenis conseruare, à pestis periculo tueri & castitatem in viris augere: *Fridericus* enim Saxoniæ princeps Elector, quatenus vera sentiret & diceret, ei tutelã clementissimam promisit, si secus, quod suo damno id tentaret.

Res ad Papam defertur, Lutherus vt hæreticus proclamatur, citatur Romam, ad causam probandam, minis ad palinodiam cantandam tentatur, scriptis editis per totam Europam tam indoctis quam doctis, irritatur potius, quam refutatur: Nullus non in Angliæ Academiis damnabat Lutherum, eius libros comburebat, personam calumniabatur, in hanc & illos scriptis inuehebatur: Nemo nõ in Gallia, Italia & Germania idem factitabat: *Tum vero in numerum mota re cucumina quercus vidisses, tumq; ingentes concurre montes*: Tum Apenninas, Alpes & Pyrenæos clamantes audisses, Lucina fer opem longo post tempore prodeunte musculo aut potius

cochleæ

cochlea ; nam Cochleus & Eccius primipili seu signiferi fuerunt gigantum Romanensium, qui *Interim* librum post scripserunt.

Quid mentis tum Saxoni Luthero (qui purificatorem denotat) fuisse existimes ? An potius reclamare dicta voluerit, an expectare dubium illius Tragœdiæ euentum ? Immotus perstitit, ore liber, calamo inuictus, taxauit abusus, fœces humanas absterſit & doctrinam Euangelio Christi consonam, puram & synceram, in sermonibus pro concione habitis, nec non libris plurimis editis, auro in ignibus pro batosimilem, attestatus est.

Hac iugum illud Romanum à maxima parte Germaniæ auulsum & remotum est, conscientiæq; antea incarceratæ & suppressæ cœperunt paulatim respirare, liberiori gaudere aura, Christique merito gratuito, non Indulgentiis Papisticis amplius inniti: Quot conuentus hinc principum, Cæsaris mandata, disceptationes, accusationes, excusationes, iniuriæ,

iuriæ; velitationes, prælia, acies, deprædationes, incendia, cædes, per 30. annos & amplius in Germania tũ factæ sint, vix crediderit, qui non legerit: Vicit tandem bona causa & triumphauit.

Quis expectasset, vnum hominem Saxonem, resistere potuisse ingenio calamoque in Religione tot myriadibus aliter per Christianum orbem sentientium? Quis dubitasset hunc succubiturum; & non tot tantosque victores cuasuros? Diuinæ dexterę potentia est; quæ hunc Heroa animauit, imperterritũ reddidit & cõtra aduersarios suos tutata est: Misericordia est Domini, quod non cõsumptus est, vi, fraude & dolo inimicorũ suorum, nec à veritate abalienatus precio, prece, vel minis: Prouidentia est Christi, quod Wormatiæ versans inter multa millia hostium in Comitiis incolumis protectus, nec igne combustus sit abillis, quibus voluntas rationem anteuertit & complet, qui vtroque vtuntur gladio seculari & ecclesiastico, & vicarij Christi vi-

deri volunt, cum tamen audiant potius nutritij Romulei, quam Lycaones haberi velint.

Post Deum Saxonici principes Septemuiri *Fridericus, Iohannes & Iohan-Fridericus* Luthero muri fuere ahenei & asylum incolumitatis, qui virtute & animo vere heroico & Herculeo antiquos illos tres Othones Imperatores Saxones etiam contra papales insidias inuictos, vt supra expositum est, retulerunt: illi absq; omni dubio ad hoc negotium electi sunt à Deo, qui Magnalia sua per monachum Lutherum toti orbi ostendere voluit: A Papa munere *Rosæ aureæ*, tituliſque fauoralibus (vt illi mos est) petiti & moniti, vt derelinquerēt vnum istum hominem toti mundo inuisum, suæque potestati traderent, valde recusarunt, sed veritatis præconem se defensuros, falsitatem extirpaturos semper protestati sunt: Cæsar similiter eosdem grauauit odio, & vltimum quoq; bello captum incarcerauit corpore, mente & conscientia eius manente libera, multa-

uit

uit bonis, hæreditatibus & electoratu; imo Hispani, Papæ addicti eum minis aggressi sunt, sententia mortis lata, nisi resipisceret & recantaret Lutherana (quæ illis sunt hæretica & plane abominãda) dogmata: Sed ex Dei gratia, mansit optimus princeps; veluti Marpesia rupes, incõcussa tot turbinibus & procellis, tot fluctibus & periclis: nec latum digitum secessit à priori zelo pietatis, confessus se vitã profundere potius velle, quam veritatem semel agnitam abiicere & papisticis conniuere dolis: O rara virtus in diuitibus, potentibus & in mundo magnis.

Non dissimilis animi & propositi fuit alter princeps cum eo incarceratus, Philippus Hassiæ Lãdgrauius: Principibus & defensoribus purificatæ Religionis captis, Cæsar victore exercitu per Germaniam tetendit, cui se dedidere ciuitates & plerique principes: Mansit tamen vna virgo Saxonica casta & libera, nempe ciuitas Magdeburgensis, quæ ex Cæsaris nutu obsessa & oppugnata

est, masculè se defendens & conati
bus obsessorum animose resistens.

Dei autem prouidentia hinc ad
mirabilis apparet, quod eodem an
no paulo ante Lutherus ex hac vit
discesserat, ne & ille vincula & ca
ptiuitatē experiri cogeretur: Cumc
iam sedati hi motus apparerēt, prin
cipesque ad parendum Cæsari in re
ligionis negotio nolentes volente
reducti, creuit interim sub his angu
stiis, instar palmæ contra onus obni
tentis, Christi Ecclesia, & excitatu
est princeps ex Saxonibus, qui inau
dita celeritate suo cum exercitu Al
pes superauit & Tridentinum subit
disperſit concilium, forte quid am
plius tentaturus, si occasio se obtu
lisset.

Hinc ex DEI nutu pax Ecclesiæ
fœcibus Papisticis repurgatæ obue
nit, qua vt fruamur perpetuum fax:
summus ille rerum humanarum di
spensator, Deus Optimus Maximus

Hæc est historia breuissime relat
mutationis in Religione, quæ cen
tum ab hinc annis primitus incept
es

est, D. Luthero abusus papisticos taxante.

Etsi vero hæc omnia hæretica ab aduersariis dicãtur (qui excæcati ob Papæ splendorem, veluti terreni solis) & Lutheranæ factionis dogmata, tamen hoc nihil nos mouere debet, qui scimus D. Lutherum saltem fuisse organum Dei electum Saxonici rigoris, Herculanæ aut potius Germanicæ animositatis & constantiæ, qui in morem Termini, Deorũ Ethnicorum antiquissimi, nulli cedere præsumpsit, nisi soli veritati diuinæ, qui pro purgãdo vero & antiquo DEI verbo, papisticis sordibus inquinato, non nouo Euangelio seu quinto, vt aduersarij iniquissime calumniantur, introducendo, vt inuictus miles & inuulnerabilis Cygnus pugnauit.

Vnde iniquissimum est, & aduersariorum partem suspectam reddit, quod vocent non Papæ adhærentes hæreticos, schismaticos, cum tamen Papa & ei addicti hoc nomine dignandi sint, quod ab institutione

Christi & Apostolorum tam longe recesserint, quam extremum abest ab extremo; Quod suum factum vt excusent, adducut historias, scripturas & nescio quid non ad suam mentem, nempe vt Papam faciant Ecclesiæ DEI caput, nunquam errans, omnia in terris & cœlis pro libitu faciendi potestatem habens, cuius dicta falsissima, facta non Christiana & detestãda plurima, errores nefarios, excusant & pro diuinis adorant.

Si licet illi quod lubet, monarcha non solum est, sed *Deus terrenus*: Si omnia quæ facit approbanda sunt, si suo iuramento sibi habet adstrictos tos reges, cardinales, principes, episcopos, Abbates, & fere omnes alios, quid mirum quod factionis sit potẽtissimæ: Nõ illi verbum excidere potest, quod ratum non fiat, non consilium, quod illaudabile, non factum, quod non optimum sit: Ille quadrata rotundis mutare potest & alba nigris, nec est quis iudex, nisi ipse sibi in suo negotio: Si dixerit ipse, diebus certis abstinendum esse ab esu carnis

nis (vt nimirum habeat licentiam super esculenta, quibus carere homo nequit, & vt ipse primum consulendus sit à regibus, principibus, summis & infimis, habeatque causam alios immorigeros in hoc puniendi) ouis, lacte, butyro, caseo, & saltem vescendum piscibus, de quo instituto Christus & Apostoli nihil præceperunt, & prorsus illi contraria statuerunt, tum omnes parẽt, vt oues, nec est qui cõtra mutiat: Si dixerit ipse, panem, qui videtur & habetur in manibus, non esse panem, sed talem videri, astuto quodam figmento, cum in carnem Christi inuisibiliter transsubstantiatus sit, & sic de vino in sanguinem mutato, quod accidentibus solis hærentibus in nudo aere, non in essentia, vt prius, & essentia carnis & sanguinis Christi, absque accidentibus, lateat, tum parent omnes vt oues, nec est qui hiscere audeat: Si dixerit ipse quod Laici sint contenti pane, sacerdotes autem & vinum bibant, hoc est, illi corpore, hi quoque sanguine Christi, fruantur, vt aliquid

mutasse videatur & iure suo vsus in alterandis Christi verbis, & institutis, suisque proponendis, & laici sentiant esse mysterium in eo, quod Papæ & sacrificibibãt & edant, illi autem saltem edant: contra id si quis egerit, ille erit hæreticus.

Si Christus & Apostoli hoc seculo redirent, & pristinis suis institutis & propositis doctrinis vterẽtur, non se accommodãtes ad Papismum, an non dicerentur illis hæretici? Imo, quia ratio & scriptura nulli sufficeret, sed consuetudo & possessio Romanensium: Si ipse dixerit, fiat aqua lustralis per certas ceremonias & lustrationes per admixtũ salem, veluti Ethnici sacerdotes Ægyptij fecerũt, qua lustrent populum Ethnico more, quod sacerdotes incedant mitrati & linteis induti, vt iidem Ægyptij flamines, vt sacrificent ad aram, & quod omnes gestus, sursum, deorsum, in latera, dextrorsum, siniſtrorsum, & trecentos alios (tot enim esse variationes motus in missa constat) veluti gesticulatores, mimi & histrio-

striones exprimãt, mox parent, vt oues, nec quis est, qui insaniam illam agnoscat: Si ipse dixerit, sint Sacramenta septem, quamuis Christus saltem duo instituerit (quo enim sunt plura, & plus erit negotij & lucri, & nefas foret, non aliquid pro extremo officio ęgris iam iam morituris adhibere, vt nimirum in illorum bona & relictas hæreditates inuolari possit, sub specie pietatis) idem approbant morigeræ oues, non sentientes de ipsarum lana & pelle ludi.

Quantum extrema vnctio, Cereę benedictæ in manus ægri positio, panis sacramentarij administratio, vtilitatis papalibus attulerit, nõ est credibile: Per hæc enim extorserunt à diuitib. agros, pascua, prædia, etiam à principibus & regibus comitatus integros, ditiones & regna,

Ad hæc spectãt cuculli monachalis indutio, operis operati & superabundantis merita, missæ pro anima mortui celebratio, purgatorium, animæque emissio post missas & pretes iteratas pro pecunia: De mortuo-

rum inde reliquiæ, peregrinatio ad loca ſancta præſuppoſita, miracula quæ dicant in illis locis contingere, non alteri ſenſibilia, niſi bono papiſtæ, quem nunc vocant Catholicum, verbo Græcanico, ſeu vniuerſalem.

Sexcenta ſunt alia huius farinæ, verbo Dei non ſolum incognita, ſed manifeſte contraria: quæ omnia admittuntur vt bona & ſalutaria, quia ipſe ſic dixit & voluit, qui habet poteſtatem omnia faciendi in cœlis & terris, quæ velit; qui eſt caput Eccleſiæ, qui errare nequit, quatenus caput & papa, quatenus homo poteſt: quaſi duæ naturæ eſſent in Papa, vt in Chriſto, vna diuina, quæ errare nõ poteſt, & altera humana, quæ in Papa aliquid humanitatis patitur & vitiis eſt obnoxia. O ſtupenda commenta hominum, ô pectora Anticyræ conſecranda quid fingitis & mortalibus perſuadetis? Sophiſtas antiqui temporis ridemus, at noſtri nos rident; Quod eſt ex ſuo vſu dicunt, quod dicunt in mentibus hominum ſtabiliunt, & ſi quis credere recuſet, eſto

esto excommunicatus, hæreticus, Lutheranus, Cacodæmone peior.

Quid si Negromāticus Papa (veluti plures ante fuerunt & adhuc esse possunt) diabolum velit adorari in forma alicuius sancti, an non illud ipsum obtinebit? Quid ni? Habet sua Fulmina excommunicationis ad manus, tot inhibitiones, & mille vias, quibus id perficere possit: Papatus est optime quadratus in modum tesseræ seu cubicæ figuræ, si canis, si senecio, si Venus ceciderit, perinde est, omnes iactus sunt fœlices, nec quid potest cōtingere ei aduersi, qui mentibus hominum hoc instillauit, se nunquam errare, quæ velit & appetat, esse licita, quæ impetret & possideat, necessaria, quæ dicat, vera, quæ faciat, irreprehensibilia, imo omnia diuina, non humana.

Est pallium nequitiæ peruersitatis, auaritiæ, libidinis, monarchiæ, tyrannidis, ex multis coloribus, instar centonis, cōsarcinatum; cui singuli Papæ portionem diuersi coloris inseruerunt, variæq; formæ: Christi

vestis

veſtis fuit vnius coloris abſq; futura vllas papalis eſt diuerſiſſimi fuci & coloritij, inſtar Chamæleontis, qui omnes res, quibus appropinquat, imitatur coloribus, exceptis albis & rubeis, qui veræ & ſynceræ ſimplicitati appropriantur, vtpote ſanguinis ſeu carnis Chriſti in ſacramento, nec non aquæ in baptiſmo notæ infallibiles.

In papatu nullus error agnoſcitur, ſi modo ad vtilitatem & honorem papæ ſtabiliendum ſpectet, nulla hæreſis, niſi quod Dei verbo magis, quã papali ſit conſonum: Papa eſt caput Eccleſiæ ſcilicet, cui nec totum corpus, nec membrum eius reclamare poterit: Si quis aliter dicat, Eum oportet eſſe hæreticum ac Lutheranum.

Eant nũc reges & principes, eant gentes & populi, nihil habent, in quo Papæ contradicere audeant, niſi velint, vt membra putida, igne vel ferro expiari & corrigi: Caput eſt Eccleſię, nec ipſi deſunt manus aut gladij, non claues, nec coronæ: Capiti enim

enim inseruiunt omnia membra & ad nutum prostant: Et licet caput in politicis summum principem agnoscamus, tamen caput illud Ecclesiæ est (vt ipsum de se dicit) veluti sol & princeps veluti luna, recipiens ab eo lumen: Christus huic capiti lubens cedit, vt hoc regnet in terris & faciat quæ velit: Verum si res, vt est, consideretur, Papa est omnium tyrannorũ totius orbis pernicioſissimus; Caligula Deus haberi voluit Romæ, at inuenit Chæream, qui ipsum hominum pessimum ipso facto declarauit: Hic tyrannus in hominum conscientias se insinuauit sub sanctimoniæ specie, quasi esset vnctus & inuiolabilis, ideoq; omnibus imperat: In Christiano orbe Papa sic semper sibi prospexit, ne quis principũ præualeret, ideoq; astutissime ignem accendit inter illos, vt ipse possit inde quid lucrari, veluti faciunt non raro male feriati quidam ex incendiis aliarum ædium sibi plurimum acquirentes inuitis dominis: Si omnia bella, discordiæ, tumultus & facinora,

quæ

quæ à Papis solis imperatoribus intentata fuerunt, comprehendi vno volumine deberent, esset Ilias malorũ, imo Oceanus & immensum mare nunquam à fluctibus liberum.

Experti sunt paparum malitiam Othones, Henrici, Friderici, & plerique alij. Henricus Tertius an non à Gregorio Pontifice anathemate notatus, omnibusque regnicolis à iuramento regi præstito & ab obedientia eius absolutis (quod in Childerico Franco prius fœliciter successerat) Rudolphus Sueuorum dux in eius locum rex creatus est, cui coronam Imperialem miserat cum hac inscriptione:

Petra dedit Petro, Petrus Diadema Rudolpho.

At Rudolphus amissa dextera, qua Domino suo Henrico fidem confirmarat, periit, euidenti Exemplo & indicio, Deo non placere Papæ perfidiam, & meliorem causam habuisse Henricum Imperatorem.

Verum cum hoc Paparum consilium non processisset, filium Imperato-

tatoris in patrem excitarunt, & eum Imperio, ablatis Imperialib. insignibus, deiecerunt: At filius eandem gratiam à Papa accepit, quam pater; Romam enim profectus, vt coronam Imperij acciperet, maximis in vrbe tumultibus motis periisset, nisi sua ipsius manu vitam defendisset: sedato autem tumultu, multisque Romanis trucidatis, Pontificem cepit & extra vrbem abduxit: Et cum de coronatione & iure electiuo in creandis Pontifice & Episcopis, cum eo ageret Henricus, consensit vltro Paschalis, vt hanc sibi prærogatiuam vsurparent Cæsares, ne quis vel Pontifex vel Episcopus citra eorum suffragationem designaretur: Inde Romam reuersus à Paschali diadema Imperiale, cum aliis multis priuilegiis accepit, quæ tamen Papa paulo post reuocauit & Imperatorem excommunicauit: Ad quem rumorem Imperator Romam reuersus, Pontificem fugauit, aliumque in eius locum suffecit, vnde multæ dissensiones, schismata, incendia, homicidia, de-

por-

portationes & tumultus in Germania sunt excitati.

Fridericus vero Barbarossa quantas paparum insidias passus sit, historiæ satis declarant, in quem Alexander Pontifex cunctos principes per Franciam, Angliam & Hispaniam incitauerat, nec non Venetos & Mediolanenses, omnesque alios: Cui, cum filius eius nauali prælio à Venetis victus esset, Papa in ceruicem insultauit, additis Psalmi 91. verbis; *Super aspidem & basiliscum ibis, &c.* Pudeat te belua: An tu facis tibi scabellum summum in mũdo magistratum à Deo institutum? An hoc à Petro aut Christo didicisti? Non arbitror, sed potius à Lucifero, qui quoque similis esse voluit suo creatori: At tu pedibus conculcas mundi tuumque de iure dominum, vt aliis successoribus tantæ perfidiæ relinquas exemplum.

Fuit autem omnium harum dissensionum causa, quod Imperator non dextre egisset seruum Papæ stabularium, nec stapedem rite tenuisset,

set, vt Papa prætendebat; sed Imperator se satis excusauit, respondens, se non didicisse; quomodo tenerentur stapedes, sed regerentur regna; Verum hic bonus Imperator astuto prætextu ex Imperio ad Saracenos debellandos missus est, vt Papa libere ageret, quid vellet in Imperio, vbi in vndis periit, An. C. 1190.

Huius filius Philippus papæ quoque iniurias expertus est, cuius instinctu quoq; interfectus fuit ab eo, cui pater Fridericus ducatum dederat: Deinde Otho Bauariæ & Saxoniæ dux Imperator factus; anathemate quoque à pontifice notatus est, principibus Sacramenti religione, qua illi obligati erant, absolutis, imperiique titulis priuatus.

Huic successit Fridericus II. Imperatoris Henrici V. filius, Friderici Barbarossæ nepos; Hic à Gregorio IX. inique, quod votum Hierosolymitanæ peregrinationis non soluisset, anathemate percussus est: Vnde coactus fuit maturare & Hierosolymam petere, vbi coronatus fuit An.

1229. Verum pontifex interim Apuliam ingenti exercitu inuasit, & subditionem suam redegit: Quod vbi sensit Fridericus, reuertitur & Apuliam recuperat: Pontifex indignatus eum diris iterum deuouet, reuocata priore absolutione, & Soldanum per literas monet, ne, quod pactus fuerat, Cæsari terram sanctam reddat; ad principes vero Germaniæ, ne ipsius liberorum quēquam in regem Romanorum eligant: Cæsar ægre obtenta, intercedentibus Episcopis & Imperij ordinibus, absolutione, simul atque Mediolanenses ad obsequium armis cogere cœpit, iterum deuouetur, hoc est tertio; Iterum tamen supplex absolutionem à pontifice petiit, qua non impetrata, vt se tueretur, necessitas eū impulit: Distractis autem partium studio animis Italorum, Guelphi vocati sunt, quotquot Gregorium Pontif. sequebantur, Gibelini, quotquot Cæsarem: Hinc aperta odia & bella adeo, vt post captas Rauennam, Senas, Romam, in eas angustias Papa adductus fue-

fuerit, vt crucem in Cæsarem, æque atque in Turcam prædicari iusserit, datis etiam indulgẽtiis omnibus iis, qui in eam militiam asscriberentur.

Post obitum Gregorij Innocentius euocata Lugdunum Synodo Fridericũ excommunicat quarto, Francorumq; regem in eum instigat. Proceres quoq; Germaniæ Papæ instinctu alium Imperatorem deligunt; nempe Henricum Landgrauium Thuringiæ, quem Conradus Friderici filius fundit, fugat: Eo extincto itur ad Gulielmum Hollandiæ comitem, ac post ad Richardũ Anglicum & Alphonsum regem Castellæ; Interea Fridericus subornatis percussorib. Veneficis frustra petitur à Papa; dumque in Apuliam ducit exercitũ, hausto, quod porrexerat Manfredus filius eius nothus ex Papæ instinctu, veneno moritur, anno Christi 1251.

Eius filius Conradus post obitum patris in Italiam profectus ad occupandum Siciliæ regnum, qui idem à Manfredo ex Papæ consilio veneno

sublatus est, An. 1267. Reliquit Conradus filium Conradinum, qui cum matre paruulus in Bauaria degens, cum adoleuisset, in Italiam accersitus est ab illis, qui contra Guelphos assiduum bellum gerebant, ac à plerisq; ciuitatibus benigne exceptus, Romam ingressus est, indeque contra Carolum Gallorũ regis fratrem à Põtifice incitatum, qui Manfredum debellauerat, profectus, apud Beneuentum victus & deinde per insidias cum Friderico Austriæ duce captus ac sordidius, quam decebat, tractatus, contumeliisque affectus, ac postea Pontificis consilio cum duce Austriæ securi percussus est, An. C. 1269. 11. Cal. Iunij.

Post Fridericũ II. filius eius Henricus cum parũ adoleuisset; Austriæ ducis filiam in matrimonium accepit, iam ante puer penè decẽnis Rex electus; sed cum pontificis diris pater Fridericus peteretur, à pontifice corruptus aduersus patrem cum Lõgobardis conspirauit & exercitum

in

in Bauariam contra Othonem, patre inuito duxit: Ob id à patre in Apuliã vocatus, custodiæ datus, in vinculis maceratus mortuus est miserabiliter, cum 8. annos regno præfuisset, quem pater dehinc flebiliter luxit, relictis duobus filiis gemellis, qui à Manfredo Friderici filio notho, ne Siciliæ regnum sibi auferrent, veneno necati sunt.

Verum quis à gemitu aut lachrymis sibi temperet, si talia & tanta facinora paparum audiat & consideret? Quis non dicat, potius Diaboli & Luciferi successorem esse illũ Romanum tyrãnum, quam Christi, cuius iugũ mite est & clementissimum, non cruentum & onerosissimum: O Germania nisi cæca es, vide, nisi surda, audi, nisi demens, percipe hæc omnia.

Quod si quis guttulam Germanici sanguinis habeat in corpore aut synceritatis in animo, cuiuscunquẽ sit Religionis, papisticæ vel alterius, cum his lectis oportet ingemiscere

& condolere: Humanitatẽ omnem exuerunt Romani illi papæ, & non patres, sed tyranni, non Christiani, sed Saraceni & Idolorum cultores, Anthropophagi, horribilissimi audiunt, qui vt in omnes tyrannidem, & in summos & imos exerceant, multas animarum myriadas in orcum demittunt & infinitas turbas, maleficia & scelera fieri sinunt, exoptant & instigant.

Quis vnquam miserabiliorem statum in toto terrarum orbe cognouit, quam hic est summi Magistratus inter Christianos: Tantum superstitio & falsa persuasio de religione præstare potest; Cum potius omnes malefici spiritus & furiæ ex Orco emissæ per vnum Pontificem suum sub sanctitatis pallio hæc tanta & talia excitent.

Legimus quam efficax diabolus fuerit apud Ethnicos, quomodo illis per oracula & falsa miracula persuaserit, quid voluerit, sed ea omnia nihili æstimanda sunt horum respectu,

quæ

quæ ſpiritus nequitiæ & diabolus per ſua organa inter Chriſtianos perfecit: Solent circulatores pilas, quas vna manu tenent, tam celeriter in aliam, atque hinc in primam mittere, donec neſcio quid ſua celeritate vſi in buccam aſtantis cerdonis ingerãt: An non hos optime papæ exprimunt & imitantur? Verum illi pilas, hi regna integra commutant eo vſq;, donec in ſuam poteſtatem ea redigant, iuſtis hæredibus quocunque modo ſublatis.

Habemus hic genealogiam Friderici I. ſeu Barbaroſſæ, qui cum ſemel ob ſtabularium officium Papæ non concinne adminiſtratum in illius odium incidiſſet, non ceſſarunt pij illi patres Papæ, antequam illum eiuſq; poſteros Imperio deturbaſſent (confidentes excõmunicationi, qua ſemper vſi ſunt, veluti viperæ ſuo veneno) nec hoc ſolum, ſed quoque hæreditariis regnis, vna cum vita, ſpoliaſſent:

Fridericus I. Barbarossa:

Henricus 5. Philippus:

Fridericus 2.

Henric. 6. Conrad. 4. Manfred.
Spurius.

Henric. gemelli: Frid. dux Austriæ; — Conradinus

Hi duo securi percussi sunt:

Primo cum Papæ nihil possent armis aliisve insidiis efficere contra Fridericum II. En proprios eius & naturales filios contra patrem armant, vnum exercitu aperto, nempe Henricum VI. alterum, spurium, veneno: qui nefando parricidio ex papæ instinctu patrem extinxit, tanquam Italicis viperinis armis, & deinde fratrem Conradum IV. nec non Henrici Sexti filium Henricum eodem modo sustulit: qui quoque incitauerat patrem in filium Henricum asperius tractandum.

Fuit itaque hic nothus regnorum sui

ui patris possessor ex Papæ instigatione & institutione, vt aliud quid nde sibi acquirere posset: Ita Papa regna Neapolis & Siciliæ à legitimis hæredib. sublatis trãstulit in manum nothi, quẽ facilius à se eleuatũ deponere potuit: Contra eum itaque tanquã nothum euocauit Carolũ Galliæ regis fratrem, spondens ipsi duo hæc regna, si profligaret Manfredũ, quod & factum; Gallus itaque hæc duo regna in suã manũ ex Papæ dono transtulit, ad quæ cum proximi hæredes, Conradinus, Conradi IV. filius, & Fridericus, Henrici VI. tanquam patrias hæreditates venirent, dolo Papæ capti & decollati sunt inaudita crudelitate: Extincti in his fuere omnes hæredes Friderici II. Dictum vero pontificis omnino sanguinolentum fuit huiusmodi, quod velut buccina interitum Conradino præcinuit: *Vita Conradini mors Caroli, Mors Conradini, vita Caroli*: Vnde victor Carolus facile intellexit, quid sibi faciendum esset cum Conradino & eius consanguineo Friderico,

nempe ambos ſecuri percutiendos eſſe, quod & factum eſt.

Didicerãt iam ante Papæ regnum Franciæ ab vnius in alterius manum transferre, ſed non tanta inhumanitate, vti in nepotibus Friderici II. declararant; Ibi monaſterio rex legitimus includitur ſubrogato altero, hic omnes morti deſtinantur; filij in patrem, pater in filium excitatur, frater in fratres & nepotes, donec vnus alium è medio ſuſtulerit: Imo ciuitas in ciuitatẽ, & regio in regionem per factiones illas irritatur; Vnde plus damni ex vnius Papæ præpoſtera ſuperbia & dominandi in ſummos principes libidine exortum eſt in Chriſtiano orbe, quam Turcæ aut Tartari cum inſtructiſſimo exercitu integro decennio illi inferre potuiſſent: Dolẽdum eſt ouibus, ſi lupi ſint paſtores, qui agnis ſiue ſuperiori ſeu inferiori fluminis parte bibentibus cauſam necis iniurioſe intendunt: Atque hic fuerunt duo illa regna in manu Gallorum, qui tamen eadem perfidia inde electi ſunt, quaſi fulmine, in vna hora. A.C. 1282. Tan-

Tanti constat non obedientiam præstitisse dominorum Domino, qui se falsissime (per antiphrasin) scribit seruorum seruum, hoc est, Papæ: Ille enim potest ad se aliorum regum regna trãsferre & dare alteri cui velit: Arragonum itaque rex in aliam manum hæc regna transtulit, cuius hæredes in hodiernũ diem debita Reuerentia à sede Romana illa feudi more recipiunt & vsurpant.

Hi sunt fructus fulminis pontificij, quo reges punit, vt illis alios obedientes remuneret: An Antichristus sese nõ agnoscit ex iam dictis? An nõ imaginem suam in hoc speculo contemplatur? Hæc sunt facinora magis deploranda veris Catholicis, quam excusanda: Hæc sunt indicia diabolicæ congregationis, non ecclesiæ Christi: Quem nõ hæc mouerint aut ad sui commiserationem excitarint? Sane eum tygride immaniorem & cautibus duriorem dicerem.

Talia & tanta, hisque innumera alia similia commouerunt Saxonem dictum Lutherum, vti aut mori aut veri-

veritatis præcentor esse voluerit, ne in perpetuum Lupa illa ex sepcticolli stabulo in oues Christi cum luberet, impetum faceret: cuius lac alumnos suos lupinæ prorsus naturæ efficit, hoc est Inquisitione diabolica horrendos & crudeles.

Satis exemplorum datum est hoc nostro seculo tantæ immanitatis & plus quã Phalaricæ tyrannidis: Triton ille Romanus cum semel inflat buccinã, omnia maris animalia stant tremebunda & nesciunt quo officio succurrant suo domino, cuius dominium in seruitium, si Deus velit, trãsmutari posset: De concordia sua gloriantur, & aliorum discordiam malitiose carpunt: Fateor esse inter Euangelicos dissensiones nõnullas, sed non eius valoris, vt propterea sese in lupi tutelam committant, sub quo ouium est quidem concordia, nec alia alteri ita insultat cornibus, sed omnes reseruãtur ad lanienam; Et quod sunt concordes, non est in arbitrio voluntatis ouium, sed in gladio & igne sui custodis, item in iuramento

ipsi

ɔsi præstito. Tolle iuramentum hoc
: metum ferri ac ignis, & concordia
rit omnium, veluti scoparum disso-
ıtarum; aut sibi inuicē cohærebunt
eu arenarum nodi.

Possunt nihilominus sub iugo eo
ɔso, quo premuntur, discordiarum
entena aliquot Exempla, quibus v-
us alteri vel idem sibi ipsi, aut aper-
o Dei verbo contradicit, produci:
ıpud nos libertas conscientiarum &
ıcræ Scripturæ obscuritas in quibus-
lam non tamen ad salutem inprimis
pectantibus, aliquid controuersiæ
dmittit, apud illos etiā summa com
ressio longe plus, & nisi lupina vis
oerceret, in tot errores, quot sunt
apita inciderent: At inde non se-
quitur, quod iam sint in veritatis via,
ed quod sint in Papæ via, & ita sen-
iant, vt honor & vtilitas maneat a-
ɔud Romanos, satis manifestum est;
Si enim Christi, non suam gloriam
pectaret, non ita sæuiret in eos, qui
Christi verbo magis, quam eius ad-
hærent: Scripturam habet pro pal-
lio, principes magnos pro brachiis
tem-

temporalibus,& manibus,conſcien-
tias hominũ pro ſclauis, animas pro
mercibus,meritum Chriſti pro nihi-
lo, merita operum papiſticorum pro
pecunia, pecuniam pro idolo, idola
pro diis, Deum quaſi non videntem
ſua ſcelera, ſcelera pro virtutibus,
virtutes pro rebus odio dignis: Hinc
illi facile eſt toti mundo reſiſtere &
illudere: Hæc omnia & ſingula vel
millenis teſtimoniis à nobis compro
bari vt poſſunt,ſic iampridẽ demon-
ſtrata ſunt ab aliis.

Nobis hoc loco ſufficiat, Verum
eſſe inuentum Germanis in hac quo-
que parte, quæ ad ſalutẽ animæ ſpe-
ctet, & iugum Romani lupi à noſtris
ceruicibus eſſe diſcuſſum: Tempe-
rat quidem nunc ille ſuis humoribus
& ſaltem in eos, quos hæreticos vo-
cat,non quia verbo Dei,ſed ſibi con-
trarientur,debacchatur, & omnino
non audet nunc vnum ex principi-
bus diris conſecrare inſeruiens tem-
pori: Verum ſi aliquando iterum in
Equi Ephippium inſiliret, quis dubi-
tet eum eaſdem tragœdias, ſi Impe-
rator

lator frenum non ad placitum ipsius teneat, non commoturum? Nunc soli miseri hæretici ipsi excommunicantur impune nõ aliam ob causam, quam quod honore & vtilitate simul ab iis priuatus sit.

Magnates seu magni principes nunquam, quæ res controuertatur, sciscunt, at saltem vitia hæreticorum horribilia (ex Romanensium celebro his afficta) audiunt, quibus cauetur, ne aliter sentiant ex visu, auditu vel lectione aliorum librorum, quam ipsi volunt. Qui mos & apud alias suspectas religiones semper in vsu fuit: Capitale fuit antiquitus aliter sentire, quã religio recepta comprobauit, aut dubium mouisse de oraculis illis, quæ plane erant vel fictitia vel diabolica: Ita & hodierno die apud Turcas de Alcorano, eiusque contentis fabulis, nec apud Iudæos de Talmud inquirere licet: Sequuntur omnes suam viam, à qua perturbari nolunt.

Nos sacras literas, hoc est, vetus & nouum Testamentum nullo modo

in

in dubium vertimus, sed eos, nempe Romanos Papas & illis addictos, qui contra sacrarum literarum testimonium, & Ecclesiæ Apostolorum illorumque discipulorum temporibus fundatæ Exempla tot & tanta introduxerūt in Christianam religionem, vt huius ætatis dogmata fere in nullo conueniant cum Christi & Apostolorum doctrina, nisi peruersissima vtendū sit interpretatione: Verbum Christi scriptum nobis sufficit ad salutem; cætera quæ sunt superflua; sunt saltem aucupia pecuniarum & vexamina conscientiarum, quibus Papa se exaltauit in summum thronum, at imaginatione sola, non reuera: Homo enim peccatis & ipsi morti obnoxius, vt adhuc, semper remansit.

Possumus ex Cerdone regem efficere, si illi tributum, honorem, & regna tradamus, at ipse saltem est imaginarius rex: Sic & Papa, qui licet habeat possessionem ditionum amplissimarum & regnorum, tamen malo titulo illa omnia acquisiuit, & peiore possi-

possidet, contra Christi & Apostolorum doctrinam; quæ sic habet: *Regnant reges, &c. Vos autem non sic; Et regnum meum non est de mundo*: Et, *Petre pasce oues meas*, pascere autem oues, non est, regna aliis extorquere & sibi subiicere.

De Gyge tradunt, quod annuli beneficio rex factus sit Lydiæ trucidato rege à se inuisibili facto, de Cygno vel Achille quod inuulnerabilis esset, de alio Fortunato dicto, quod Pasetis obulum nunquam sibi deficientem, sed semper ad se redeuntem, vna cum optione rata, quamcunque vellet: Hic Gyges, Cygnus vel Achilles, vel etiam Pasetes seu Fortunatus est Papa Romanus, qui suo fulmine est potentissimus, quasi Ethnicus ille Iupiter; sanctitate inuulnerabilis; Indulgentiis, Annatis, & ciusmodi infinitis mercibus est ditissimus & fœliciſſimus; Quicquid enim optat, id fieri oportet; nec est qui resistere audeat: quicquid dicit, id ratum est.

Quod si apud Romanos ille mos

in vsu esset, vt si quando Papa esset mortuus, non sepeliretur, antequam iudicatus esset, quid boni aut mali egisset (sentientibus iudicibus omnibus libere & sub iuramento, quod Deo præstarent, verissime) & si multũ boni, quod Dei verbo & veræ pietati esset consonum, fecisset, quod honorifice sepulturæ tradẽdus, si secus, ea indignus haberetur, tum lõge melius res Christianæ succederent; quemadmodum apud Ægyptios in Abato insula olim defunctis regibus fieri consuetum fuit.

Verum nunc, cum omnia dicta & facta ad eius honorem & vtilitatem augendam spectẽt, ac singuli ipsi iuramento sint adstricti, quis audebit viuo contradicere, quis mortuo resistere aut negare sepulturam? Successor enim eius statim id tolleret, ne & sibi id obueniret: Andebatæ sunt isti Pàparum serui & adulatores, & priuant quoque principes fructu veritatis, dum libros nõ aliorum, quam Papistarum in eorum manus venire permittant: quod est indicium apertissi-

tissimum iniustæ illorũ causæ, quam-uis malitiosè prætendant, in illis libris venena cõtineri, hæreses (vt vocant) spargi, nec licere laicis sacras tractare literas: Papa horum omnium est primum mouens, qui suæ authoritati Romanæ in omnes reges & principes, regna, gentes, & populos exercendæ quærit remedium ex sacris literis, longa præscriptione & coniuratis; ne scilicet Italia seu Roma desinat imperare aliis regnis & terris, quocunq; modo id fiat; si non gladio politico Imperatoris, tamen gladiis duobus & totidem clauibus, Petri & Pauli.

A Papa dependent alij eius Cardines & Columnæ, Consiliarij & Episcopi, qui vt sibi benevolunt, sic etiam illi, quasi suo capiti; Si enim caput suum reformarent vel remouerent, ipsi sciunt se quoque à principibus secularibus idem passuros esse: Ergo cauent illi, vt sibi, cum ex illius authoritate & gratia suam habeant: Ab his Italicis, Papæ proximis, fit deriuatio ad alia regna & populos, &

instituuntur diuersi ordines à summis vsque ad infimos; His omnibus Romana lux, & Regum assensus præstringit oculos, vtilitasque in professione eos confirmat vna cum dignitate, & econtra damnum, periculum & infamia, quibus forent obnoxij, si aliter sentire inciperent, absterrent & prohibent eos à veritatis inquisitione aut confessione.

Hæc est cathena papistica optime rotũda instar Rosarij precatorij: Tribus hęc filis concinnata est, honoris, vtilitatis & Iuramenti, ideoque fortior censenda est, quam si vno saltem veritatis, in verbo Dei fundatæ, filo contineretur. At speramus vnam veritatem verbi diuini adamantini nexus & roboris permansuram contra quascunque aquæ, ignis vel temporum iniurias, ita vt propter hoc VERVM Inuentum à Germanis toti orbi Christiano Pax & Concordia, Deoque Trin-uni gloria & laus in perpetuum contingat.

DE

DE QVINTO VERO VNIVERSALI, A Germanis inuento; In Medicina.

CVm Medicina animæ esset à purificatore Saxone à fœcibus humanis seu papisticis clarior & syncerior reddita, ita vt quilibet non omnino intellectus oculis priuatus, puritatem & salubritatem doctrinæ Euangelicæ perciperet, En ex montanis Heluetiorum (quos Swiceros vocitant & Cymbrorũ reliquias) locis alius prorupit Eremita, qui, quod factum erat in Theologia, similiter in Medicina corporis tẽtare ausus est, & hoc non minore fœlicitatis euentu, quam animi magni conatu.

Cum enim Philippus Bombastus ex nobili prosapia ortus Medicinæ cuicunque arcaniori indagandæ se mancipasset, inqua varias terrarum partes ideo peregrinationes longinquiores instituisset, variaque in Chymicis opera & Experimenta vidisset & præmanibus habuisset, ex quibus

non omnia fruſtranea fuere, ſed magnæ efficaciæ & virtutis quam plurima, abſque dubio multarum rerum effectū ex cauſis ſuis mirabiles animaduertens, nō potuit præterire, quin & talentum illud in Medicina ſibi commiſſum ad aliorum quoq; commoda dirigeret: Hinc incepit Bombaſtus noſtras bombos ſuos in abuſus medicorum emittere, hoc eſt, variis libris editis, tanquam bombardis, tum vſitatæ medicinæ ſibi viſos errores petere & perſtringere, vt ſcilicet nouam ſuam ſectam, veluti domum, in nouis fundamētis innixam, eius loco, ædificaret & ad cœlum vſque educeret: Huius animi tāquam imperterritus miles, dum vixit, permanſit, nec intentio aliter, quam voluit, ſucceſſum habuit.

Dum enim pleraque ſua ſcripta in vulgari Germanico idiomate ſparſerit per Germaniam, tot & tantos in ſuam mentem attraxit, vt non abſq; cauſa reformationem quandam in artem medicam, ſi non nouā ſectam, introduxiſſe videri poſſit.

Ple-

Plerique Chirurgi, Chymiæ dediti, aliiq; medicinæ tyrones postquam in eiusmodi scripta inciderint, in quibus nunquam nõ carpuntur medici & pro asinis à dicto authore (hęc enim eius phrasis est) proclamantur, nõ exiguum adiumentum in doctores debacchandi & inuehendi, se inuenisse lętati cupide eius doctrinam imbiberunt: Sunt enim hominum animi nescio quomodo nouitatis studiosi adeo, vt quod nouum mox pro vero accipiant: Quod si quoq; nouis remediis vel artibus productis ratio qualiscunq; adiecta fuerit, ita vt verisimilis appareat, tum vulgus facile iis adsentitur, quæ capere se existimat: Ad hæc si experientia delecta quædam medicamenta approbet & vtilia nec non salutifera inueniat, tum simile iudicium de cæteris fieri solet.

Hæc singula Philippus Bombastus, qui se boni ominis gratia Phil. Theophrastum Paracelsum cognominauit, in suis Medicinalibus adesse curauit, nempe vt essent nouæ inuen-

tionis à communib. Medicinæ theorematis longè differentia, rationiq; applauderent & maximæ efficaciæ effectum præstarent. In his enim à plurimis in cœlum vsque laudibus effertur, quasi *omne tulerit pūctum, dum miscuit vtile dulci*, hoc est, dum chymicas extractiones boni saporis & exiguæ molis, magnarum vero virium in Medicinæ vsum introduxerit.

Multi ex aduersariis eius fatentur, ipsum esse virum magnæ industriæ & multiscię experientiæ, remediaq; eius nō esse aspernanda, quippe quæ ab aliis acceperit longoque vsu probata; at quæ ipse ex sese produxerit tam in praxi, quam theoria, non admittunt.

Nostrum non est hic arbitrum agere, sed saltem *Inuentum hoc verum Medicinæ* per totam Europam per Germanum hominē sparsum & disseminatum, commemorare.

Sunt enim in Germania, Gallia, Italia, Anglia, Scotia, Polonia, Hispania, aliisque vicinis regnis, ipsaque Muscouia, Suecia & Dania, multa me-

medicorum millia, qui huius doctrinæ se dediderunt, eaque multiplices fructus percipere profitentur: Vt interim taceam tot Chymistas, seu destillatores, qui institutione Paracelsica faciunt extracta, olea, tincturas, magisteria, & alia multorum nominum; quæ dum intra rationis metas consistant, omnia sunt opera quamplurimis hominibus & artificibus vtilissima.

Fatemur Chymiam non esse Paracelsi inuentum, sed apud Germanos ante trecentos annos, Alberto Magno illo philosopho & theologo authore, aliisque excultam esse, attamen hunc primum fuisse medicum, qui eam cum Medicina in his locis coniunxerit, & quid Germanico Idiomate in vtraque arte ediderit, facile concedimus.

Quomodocunque sit, Paracelsus sua illa secta medica plures sibi consentaneos adsciuit, quam vnquam Thessalus ille Methodicus, aut Erasistratus Chrisippi discipulus, vel etiam Chrinas Massilienſis, qui ad sy-

derum motus ex Ephemeride Mathematica cibos dabat, horasq; obseruabat: Quis non rideat Menecratem præ Paracelso, Syracusanum medicum, qui nullam ab his mercedem accipiebat, quibus medebatur: Curabat inprimis morbum sacrum hac lege, vt liberati se esse ipsius seruos fatercntur, eumque Iouem appellarent; Feruntque in id tumoris fuisse euectum, vt quandoque ad *Agesilaum Spartæ* regem hoc modo scriberet: *Menecrates Iupiter Agesilao salutem*: Subridens *Agesilaus* respondit: *Agesilaus Menecrati sanitatem*; vt tradit Plut. in Apoph. & Cælius cap. 38. lib. 6.

Ita & Plinius falsè ridet *Asclepiadem*, qui cum in arte Rhetorica facultates decoxisset, Medicinam nouam auspicatus cum Magia coniunctam, Pompeij magni tempore summam auctoritatem Romæ inde sibi concilians: Et de eodem lib. 7. c. 37. *Summa autem*, inquit, *Asclepiadi Prusiensi, condita noua secta, spretis legatis & pollicitationibus Mithridatis regis, reperta ratione, qua vi-*

vinum ægris medetur, relato è funere homine & seruato, sed maxime sponsione facta cum Fortuna, ne medicus crederetur, si vnquam inualidus vllo modo fuisset ipse: Et victor suprema in senecta lapsu scalarũ examinatus est. Scripsit ad Mithridatem volumina: Idem blandimenta & lenocinia commentus est ad ægrorum gratiam & iucunditatem; & inter ea balneorum consuetudinem & lectulos suspensiles, quorum molli iactatione irritaretur & obreperet somnus; vt habet Plin. dicto loco, & cap. 3. lib. 26.

His omnibus longe plura & vtiliora auxilia *Paracelsus* in vsum medicum intulit, veluti in libris eius passim videri potest. Tria inprimis in omnib. eius operibus occurrunt, quorũ primum est, Quod omnia ad Thegriam Medicinæ spectãtia innouarit, alioque sibi peculiari modo proudxerit, vtpote in subiecto medicinæ, quatuor vel quinq; Entibus, seu generib. medicandi, inter quæ est supernaturale, astrale & imaginatiuũ, in morborũ causis & speciebus, in vsu partium

tium & anatomia, in botanica & his similibus; in quibus totam veterum Medicinam refutasse ac destruxisse vult videri.

Secūdum est, quod selecta remedia partim ab aliis accepta, partim à se inuēta iactet & ad vsum adhibeat, quorum alia sunt naturalia, & non omnino reiicienda, alia præternaturalia & superstitiosa ab aliis existimata.

Tertium est, quod Chymiam, eiusque scientiam profiteatur, tam ad Medicinam, quam alia.

In singulis iam dictis suos sectatores inuenit, qui eum imitentur & in Medicina & Chymia, quorum qui illi sunt familiariores, plerique mores sui magistri induunt in alios calumniando & inuehendo, quasi hæc sit via ad gloriam perueniendi: sunt quoque ex ipsi addictis, qui cum in Chymia metallica nihil veritatis post diutinos labores & magnas expensas repererint, opinentur Paracelsum nihil in ea perfecti habuisse, sed Scoptice Chymistas, qui Chryso-

opæiam quærant, irridere: Sed qui ta sentiunt, ab aliis potius irridentur qui Theophrasto perfectissimam eius artis cognitionem attribuunt: Quicquid sit, Asclepiadi in eo non compar, quasi ad ætatem longam se peruenturum cū Fortuna depositurit, licet de vita longa acquirenda cripserit, eam tamen ipse non attigit.

Eius Epitaphium Salisburgi in Nosocomio apud S. Sebastianū ad templi murum erectum spectatur lapidi insculptum, hoc modo: *Conditur hic Philippus Theophrastus, insignis Medicinæ Doctor, qui dira illa vulnera, Lepram, Podagram, Hydropisim aliaq; insanabilia corporis contagia mira arte sustulit, ac bona sua in pauperes distribuenda collocandaq; honerauit, An. 1541. die 24. Septemb. vitam cum morte mutauit.*

Verum non illi, neque eius medicinæ imputari potest, quod vitā longiorem non vixerit, sed fatali necessitati, quæ tam medicis, quam aliis incumbit ita vt à nullo præteriri possit, iuxta illud: *Stat sua cuique dies, breue*

& irreparabile tempus: Quod Asclepiades, Hippocrates, Galenus, & alij ad summam senectam peruenerint, nõ tam exquisitæ eorum victus rationi dandum, quam Dei volũtati, quamuis & illa multum ad eam conferat: Hæc ætas locusque longe alio modo degitur; Quamuis contingere possit, vt verum sit, quod vulgo dicitur, plures videri senes cõpotores, quam senes medicos: quæ comparatio inæqualis est.

At si Paracelsus breuiorem vixerit vitam, quam forte alij ex Medicis, cuiusdam sectę authoribus, non propterea taxandus est, at potius magnificiendus, quod in tam succincto vitæ curriculo tantam nominis celebritatem acquisiuerit.

Quæstio. Quæri autem hic possit, cum Germani largiore victus ratione vtãtur, nec tam cibi & potus abstinẽtes sint, veluti Itali aut Hispani, Cur non istę nationes, quæ sese animo & ingenio valere volũt, ac solas sapere, reliquas volitare, vt vmbras, nouam Medicinam, aut veteris emendationem in-

stituerint, sed quamplurimi illorum, præsertim à Chymia non alieni, in Germanicis Paracelsi castris militent?

Ad hoc respondendum, Glorientur Itali, quod humana industria inuenerint modum interpretandi sacram Scripturam, & omnia tam astute congerendi etiam absurdissima, vt ad principatum suum Ecclesiasticum stabiliendum permultis videantur conuenire, cum politice per arma alteri orbi, vel magnis eius partibus, dominari non valeant, nec tributum ab illis, hoc est, sudorem & sanguinem populorum exigere, vt olim fecere Ethnici Romani ad suum immoderatissimum luxum sustentandum, veluti in symbolis aur. mensæ, lib. 4. ostendimus, quod nihilominus sub pietatis specie Christianismum exactionibus suis subiecerint, at in Medicina corporis tantum sibi ne sumant: In hac enim si multa promitterent & pauca præstarēt, veluti *Galenus* ex gentili ignorantia de *Mose* dixit, omnes homines vani- *Responsio.*

nitatem eorum animaduerterent: Ideo elegerũt eam materiam, in qua multa pollicentur aliis aut sibi sũmunt, nihil autem vnquam demonstraret; atq; ita vnum absurdum cumulant cum sexcentis aliis vsque in infinitum, donec extrema dies vanitatem eorum aperuerit.

Papæ dicunt se esse caput Ecclesiæ, nec errare posse, Christi esse vicarios, S. Petri successores; quæ omnia dicunt & non probant, nihilominus aliorum bona ad se rapiunt, & vt monarchę seu potius tyranni regnãt; quæ neque vllo modo probant, ita congerentes infinita vana & ficta super primum: Si quis se dicat nouam inuenisse viam celerius, tutius & iucundius medendi morbis quibuscũque etiã grauissimis, En mox adsunt, qui illi adducũt podagricos, hydropicos, & alios insanabilibus morbis occupatos, & inquiunt, *Hic Rhodus, hic salta*; Cura hosce, si potes; quod nisi fecerit, omnium risui exponitur.

De duobus Italis medicis legitur, quod diuersam opinionem de venæ se-

sectione in Pleuritide tenuerint, ita vt Curtius voluerit venam medianam sani & oppositi lateris incidendam esse; alter nempe Brissotus, venam medianam affecti lateris; vtrique habuere suæ sententiæ rationes probabiles: Non longe post accidit, quod Curtius in Pleuritin periculosissimam inciderit ipse; ad quem cum medici vocati dicerent, se velle iuxta eius sententiam exoppositio latere ipsi sanguinem extrahere, verum ille non satis confidens propriæ opinioni, iussit, vt ab affecto latere iuxta aduersarij sui sententiam sanguinem sibi emitterent, quod factum & conualuit, fuitque post alterius opinionis.

Ita experientia & successus in curatione morborum testatur semper de vera theoria, an ita se habeat, an secus: Sed in papisticis illis centum millibus assertionibus, quibus omnia sibi, tanquam capiti ecclesiæ, Christi vicario, Petri successori, ascribit, ne minimum per effectum probatur, sed vnum falsum super aliud con-

glutinatur eo vsq;, donec ille in pos sessionem tot ditionum, regnorum & bonorum venerit, nunc vsus Excommunicatione, nunc promittendo regni possessionem aliis morituris pro terrestribus bonis, nunc alio titulo, non bono vtitur, vt aliquid acquirat.

Quod si quis illi dicat, Cur non præstet Papa miracula, vt *Christus, Petrus*, &c. Respondent, nunc non opus esse miraculis, deinde multa fieri à sanctis miracula, de quibus videndis cum alij sint solliciti, respondent, *hæretici non possunt ea videre*: In summa habent centies mille euadendi vias & excusandi se, nec minimũ quid, quo demonstrare possint & fidem facere aliis de legitima eorum vocatione.

Hæc Medicina corporis non curat verba Sophistarum & Thrasonũ, sed mox ad Examen & probam eius professor vocatur; Papistica illa medicina animæ per Sophistas logomachos & distinctionum subtilium authores, Iesuitas verbo tenus defendi-

ditur & sustentatur, veluti mox ruitura domus per columnas.

Atque hæc est causa cur Itali nihil aliud vnquam inuenerint, quã quod verbis magis quam rebus demõstrari possit; De Romanis mihi inprimis sermo est seruorum nunc dictis seruis: Non ignoramus tantam esse plerumque eius nationis inuidiam, vt potius omnia sibi etiam falsa, dummodo sint vtilia, asscribãt, quam exteros in ipsa veritate manifesta sequantur, ne scilicet cedant ingenio, quo se valere opinantur, ideoque rariores esse inter doctos, qui Paracelsum sectentur: Sed hoc illis condonandum est, qui etiam excellentissimos medicos sui ordinis, defunctos, ex inuidia supprimunt, & raro in lectionibus suis citant, licet pleraq; ex ipsis mutuati sint: Id si faciant suis inquilinis, quid ni exteris?

Damus Medicinam esse in Italia in longe maiori respectu & precio, quam in Germania, eam ob causam, quod ibi quibusdam in locis leuiores morbi & vulnera sint lethalia, in

Germania non item, at inde non sequitur, eos in Medicina præstare & excellere præ medicis huius regionis. Aliud enim est, medicos magis ab ægrotis visitari, munera maiora ab illis reportare, diuitias corradere, Et aliud in medica arte aliquid noui inuenire, ingenium acuere & singulares curationes morborum perficere.

In Italia omnes fere qui ægrotant, assueti sunt, vt longas potiones etiam amarissimas assumant, & medici nõ opus habent, vt sint solliciti de iucundis & efficacibus medicamentis administrandis, quia hæc & medicis plerumque & ægris incognita sunt: At in Germania ægri habent fastidiosa palata, quæ fere omnem amaritiem & copiam excludunt, adeo vt multi potius mori, quam eiusmodi medicinas assumere malint: Hinc necessitas inuenit remedia efficacia simul & iucunda, qualia sunt pleraq; Chymica & Paracelsica, in solatium & commodum ægrotãtium, & communia remedia respuentium.

Si

Si Aſclepiadi, & aliis antiquis medicis curæ fuit aliquid excogitare ad ſalutem & vtilitatē decumbentium, vnde nominis celebritatem illi adepti ſint, quid ni id liceat hac noſtra ętate, quæ luxui vt magis indulget, ideoque morbis variis expoſita eſt, ita reformidat omnia rigidiora auxilia: Nō ſemper vrendum aut ſecandum eſt, ſed ſi fieri poteſt, morbus quoque blanditiis deliniendus & extirpandus eſt: Stratagemata in bellis vſitata nō raro plus efficiunt, quam aperta acies: Glorioſius eſt ſine ſanguine vincere, quam ſtrage vtrobique data: Æſculapio, vt & Marti, gallus debetur, ſi vi, taurus, ſi arte vtrique victoria aduenial: Medici enim Carnificum nomen inprimis fugere tenētur, quod Archagatho primo Romę medico ſeu Chirurgo datum fuit ob ſecandi, vrendique ſæuitiam, teſte Plinio cap. 7. lib. 25. & cap. 3. libro 10.

Sunt apud Gallos, alioſque populos quamplures, qui Germanis Medicinæ laudem aſſcribant præ aliis,

respectu habito ad Paracelsum eiusque imitatores, qui Chymiæ inprimis operam impendunt; Inter eos est Quercetanus, Turquetus regius nunc in Anglia medicus, alijque innumeri.

Etsi vero à doctissimo Thoma Erasto Paracelsica Medicina examinata sit & refutata in multis, tamen suos adhuc inuenit cultores tam inter doctos, quam indoctos: Et quotidie noua exeunt opera, quæ Chymiam cum medicina coniunctam optimum ei adminiculum esse declarant.

Nec hoc solum, sed inuenit quoq; Chymiatria locum publicæ professionis in Germaniæ Academia celeberrima, veluti & priuatim in Gallia, & alibi.

Si quid igitur vtilitatis ex Chymiatria & Paracelsicis remediis ad Rempubl. perueniat, id veluti VERVM INVENTVM Germaniæ acceptum referatur, quæ, vt olim Ægyptus, artium est inuentrix & ingeniorũ mater; quod dixerim tamen cum pace ca-

calumniatoris cuiusdam perfidiose in magnos Germaniæ principes, Regi ipsi carissimos, debacchãtis, quasi nihil in Germania fieret, nisi manibus, in quibus aliquid videri possint, sed quæ ad ingenium spectent, non ipsis competere. At quæro ex te perfide calumniator, quid alij, tu cum tuis inueneris, absque manibus? Si deceptio & dolus ascribendi sint acumini ingenij & pro virtutibus habendi, fateor esse alias nationes, quæ in his præcellant præ Germanis, at si virtus, ingenuitas, constantia, syncerias, eruditio, aliaque eiusmodi bona respicienda sunt, quæ natio Germanis maior? Nos poma natamus, dicunt omnes, at Experientia facit, vt taceant.

Inuenta hæc quinque à Germanis producta tanti sunt momenti, vt maiora nõ habeantur in mundo: Si Frisij illi ex Germanis, vt legati Romam missi, *Verritus* & *Malorix*, *Nerone* præsente, ausi sunt dicere, *NVLLOS MORTALIVM ARMIS aut FIDE ante Germanos esse*, (quod quia Ne-

roni isti tyranno verum est visum, nō irrisit eos, sed ciuitate Romana ambos donauit) nempe tunc in ista (vt habebatur) barbarie, quid nunc dicemus de Germania, omnibus numeris excultissima, oppidis, agris, artibus, & omnium rerum copia abundante? An non addemus iure merito, quod artibus & ingenio nulli mortalium cedant Germani? Quod si faceremus, An non hactenus dicta id verissimum satis conuincerent?

Taceat itaque inuidus ille calumniator & ne obiiciat Germanis pro vitio, quod eorum virtuti debetur, aut pro virtute, quod aliorum vitiis condonādum est: Iste enim homuncio nescio ad quas vanitates respexit, quas cum non inuenerit in Germania, conuitiatur hædus in tecto, toti nationi: At licet dicere eiusmodi Midis, quid velint, si vel minimus ex nobilitate Germanica interciperet eius dicta & calumnias, non existimo illi animum aut manum defuturum isti ouiculæ respondendi pro di-

lignitate: Nec vero video quicquã, propter quod ille gloriari deberet: Nam quę non facimus ipſi, vix ea nostra reor: Medicinæ animæ & corporis iam dictæ ex mente proficiſcuntur ingenioſiſſima, nec manu egent fabrorum: Et ſi egerent, non propterea eſſent deteriores, quam nunc habentur.

Et ſane non intelligo iam dictum balatronem, qui abſq; dubio cognatos & affines quamplurimos habet inter veterarios, ſarcinatores & opifices, qua parte corporis illi laborẽt, aut aliquid inuenerint: Nil ingenio, niſi forte aliorum inuenta, vt mimi, imitentur; nil pedibus; quia illa Italis & Gallis debentur: nil lingua, niſi calumnias & detrectationes aliorũ, quas ſibi habeant: Nil manibus, Ergo omnino nihil: ſi ad alia externa ſpectandum erit, ſatis percipio, quod eum inuidia maceret & ad calumnias inſtiget, quam alia quæcunque cauſa: Quod itaque Apollo Ethnicorum de ſe falſo dicit, Ouid. lib. 1. Metam.

Inuentum Medicina meum est, opifex q̃
per orbem
Dicor & herbarum subiecta potentia no-
bis:

Id verius Germania, ad Paracelsicam respiciens Medicinam, de se affirmare poterit.

Quæ omnia, non studio calumniandi alios, sed animo defendẽdi veritatem protulimus, nec ideo quasi Paracelso in Medicinalibus astipularemur, sed vt hanc in mundo mutationem Medicinæ à Germanis initium sumpsisse, demõstraremus: Maneat illa in sua dignitate & existimatione, nihil illi detractum aut adiectum à nobis hoc loco volumus: Galenicam hactenus methodum agnouimus medico cuilibet conuenire, ita, ne tamen negligat alia, quæ bona sunt Remedia apud quoscunque authores extent: Tantum de

VERO quinto.

DE

DE SEXTO VERO VNIVERSALI, A Germanis inuento; In Chymia.

SAtis iam *Veri inuentum à Germanis*, mundoq; oblatum fuisse hucusque demonstrauimus, adeo vt non opus sit plura inueniri, aut inuenta produci; Sed cum postremis his annis præter iam dicta, admirabile illud Fraternitatis Germanicæ collegium sese scriptis & factis aliquo modo aperuerit, consideratis omnibus circumstantiis, non potuimus illud silentio hic præterire, aut aliis *GERMANIÆ Veris inuentis non adiicere.*

Est sane illud tantæ dignitatis & existimationis, vt non immerito vniuersale dici possit, cum & cæteris Orbis Christiani partibus multum boni & vtilitatis promittat.

Etsi vero illud à non paucis hæreseos, &, nescio cuius, peruersitatis accusetur, ac nos alibi Apologiam quandam pro eo, sub titulo, *Silentij*

post clamores, nec non *Themin auream* scripserimus, quibus satis, quantum ex omnibus circumstantiis colligere potuimus, illius collegij veritatem & synceritatem insinuauimus, tamen nihil me absterrere potuit, quin illud Germaniæ verum Inuentum iam relatis superadderem.

Quantum ad me attinet, protestari possum, me nihil in eorum scriptis aut factis inuenisse, quatenus ea ad meam noticiã peruenerint, quod non viros doctos & à Deo illuminatos, singularibusque donis præditos deceat.

Si hæc me opinio deceperit, veluti homines sumus & humani nihil alienum à nobis putamus, non fuit in volũtate mea, sed rationis perspicacitate defectus: Sed ex optimis optimos & ex eruditis eruditissimos ego eos semper habiturus sum absq; cuiusquam præiudicio aut iniuria; donec aliter se rem habere mihi ad oculum aut mentem demonstretur: Communis ratio postulat, vt de absentibus non nisi bonum dicamus præ-

præsertim de iis, à quibus ne nomine aut digito tacti sumus, ac quorū nullam nisi ex fama cognitionem habemus: Adhæc Christiana charitas idem præscribit, vt hostes quoque nostros amemus, & de iis non nisi vera referamus, multo magis, vt amicos, nostræ fidei consentaneos, nulli noxios, omnibus, quoad licet, vtiles, tales, quales sunt & haberi volunt, agnoscamus.

Nihil autē hoc loco dicturus sum de illorum variis artibus ex naturæ fontibus deriuatis, at saltem de vnico illo Chymiæ dono, quod apud illos pro fundamento totius Fraternitatis olim habitum & constitutum est & adhuc habetur; quod si verum est (sicut sē patefecerunt) est hoc ex *Inuentis Germaniæ VERIS & Bonis non postremum*, sed priori ordini annumerandum, quod non pro vili arte (vt nasutuli indigetant) faciendi aurum, sed pro maximo DEI ex terrenis hisce Dono æstimandum erit; eritque hoc primum huius discursus membrum.

Se-

Secundo assumptionem instituemus, qua Fratres illud Dei Donum habere asseremus ex præsuppositorum.

Ac denique tertio conclusionem præmissis dictis subiungemus, qua illorum honorem & existimationem in dubium vocatam, quoad possumus, defendemus & confirmabimus.

Iampridem ante multa secula insonuit hic rumor in auribus vulgi nec non doctorum, & ex scriptis quamplurimis, quæ ad nos peruenerunt, antiquorum innotuit, esse in potentia Naturæ absconditam aliquã medicinam, quæ vt ab hominibus fere omnes morbos profligat, sanitate in corpus humanum reducta, sic quoq; à metallis omnibus imperfectis lepram & corruptionis causam tollat & abstergat, iis in aurum perfectissimum transmutatis.

Hoc multis fabulosum videtur, aut quod causam non intelligant, quomodo hoc fieri sit possibile (si enim eam scirent possibilitatem eius & artem ipsam scirent) aut quia in-

ueniant scripta de ea materia edita adeo obscura & diuersa vt ad desperationem potius, quam finem artis consequendum, lectorem adigant, vel quia videant passim tot vagabūdos Alchymistas, hominū bonæ voluntatis deceptores, pauperes, interim magna promittentes ac ne minimum perficientes, semper sperantes aureos montes, qui tanen decoctis omnib. suis & alienis omnium rerum egestate pressi moriantur; Et econtra nullum animaduertant, qui tanta arte fretus prodeat, & veritatem ad oculos omnium exponat & demonstret.

Verum his satis superque responsum est in *symbolis nostris Aureæ Mensæ, vbi 36. argumenta aduersariorum producta refutauimus*, & totidem pro affirmatiua parte stabilienda, ex consensu 12: nationum, posuimus; Artem eam esse verissimam ad nauseam ibi probatum est, quo dubitantes ablegatos velimus: Quod si vlterius dubitandi causas habuerint, nullum ego remedium illis offerre scio, nisi vt persistant

stant in sua opinione; Nec enim multum referre, siue illi credant, siue nõ, artem esse veram; Imo vtile esse, vt ars omnium optima aut negetur vera, aut pessime audiat non per se, sed per accidens, aut quia ob difficultatem ab ingeniosis non mox capi possit, aut quia ob nobilitatem ad eam currant tam mali, quam boni, veluti feræ in Africa ad perennem fontem.

Præsuppositaitaque in genere artis veritate, quæstio est, num dicti fratres quid vtilitatis per hanc mundo præstent, aut digni sint honore, aut præferendi vulgaribus Alchymistis? At ego hanc hypothesin statuere de iis, non dubito: Quod si Fratres R. C. hanc artem siue Chrysopœiam (nè quid de aliis arcanis dicam) in possessione inde à primo authore per ducentos annos & amplius huc vsq; & etiamnum habeant, ipsos esse Deo dilectos & omni Reuerentia hominum dignos, florem nostri æui, apicem scientiæ, culmen gloriæ, asylum veræ pietatis, lumen doctorum omnium

imnium & columen ægrorum : Imo conuenire ipsis omnium virtutum, temperantiæ, taciturnitatis, castitatis, & aliarum titulos; Cumque otiò non sint dediti, sed semper aliquid præclari machinentur, nunquã non peregrinentur & audiant, videant & discant, quæ sunt raræ inuentionis; miræ dispositionis, & magnæ vtilitatis, necessarium est, ipsos, quo ad fieri licet humanitus, omnium rerum cognitione frui, eaque quoscunque doctissimos multis parasangis antecedere.

Nostra enim scientia ex multis particularibus componitur, quæ ad vnum finem tendant & conspirent; si secus fiat, sophistica potius est, quã scientia; & non veritatis indagatio, sed amissio.

Si, inquam, eam artem dicti fratres habeant & habuerunt tamdiu, eoq; modo naturam indagarunt per tot annos, oportet eos antecellere præ omnibus Philosophis, Ethnicis & Christianis, quotquot fuerunt vnquam extra eiusmodi Collegij societatem:

tatem: In causa est, quia habent illud in manibus, quo omne magnum perficitur, quo reuera parui magni æstimantur, quod est neruus omnium rerum in politia gerendarum: cuius medio nihil ipsis deesse potest, quod cognitionem etiam arcanissimorum quorumcunque spectat: Ad quod cum vsus, exercitatio, peregrinatio & mutua communicatio accedant, non potest fieri, quin perfectissima scientiæ idea in omnibus excitetur.

Si Plato ille antiquus philosophus, cum tenui admodum esset pecunia, tres Philolai Pythagorici libros decem millibus denarium mercatus est (quod precium à Dione quodam Syracusano acceperat) vt scientiam suam augeret, non parcens sumptibus, multo magis hi fratres omnis generis libros, & omnia alia, quæ ad rerum cognitionem multiplicandam spectant, coemere poterunt; quod quoque ab iis factum ipsi testantur: Sic traditum est Aristotelem pauculos Speusippi libros post

mor-

mortem eius emisse talentis tribus Atticis, vt testatur Gellius, lib. 4. capit. 17.

Hac vero ætate non opus est tanta pecuniarum profusione, cum typographia libros vili precio cuique prostituat: Si vero sint arcana præ vulgo celanda, nemo melius illis precio comparabit: Hinc quicquid est naturæ immersum beneficio huius artis indagari poterit: Quilibet apud se æstimet, quo quis sit animo, si videat, quod sibi id commissum sit ex DEI nutu, de quo totus fere mundus desperat, & quod tot hominum myriades frustra quærunt, & maxima pars negat, vt impossibile: An forte cogitabit illud fortuito factum, an non potius ex peculiari Dei prouidentia? Quod ipse hoc possit in quarta horæ parte Diuino suo artificio & puluere præstare in commutandis & perficiendis metallis, quod natura vix mille annis effectum dabit, imo pro locorum frigiditate, vix vnquam.

Qui feudum seu prædium à prin-

cipe temporalia accepit, eum oportet largitori suo omni seruitio & munere esse obstrictum ac homagium seu fidelitatis iuramentum eidem non negare: Multo magis ipsi fratres, si hoc potiti sunt dono, tenentur Creatori summo vt creaturæ, Deo & Domino, vt subiecti, summo principi largitori, vt vasalli, perpetuo inseruire, nec eum ad iram enormibus vitiis irritare, sub amissione & Doni & vitæ, nec non gratiæ Diuinæ: Nec vero quis existimet in hunc numerum & societatem assumi Grillos, quibus anima pro sale data est, Epicuri de grege porcos aut fruges consumere natos, Eucliones, Thrasones, Gnathones, ventri & genio potius, quam menti & ingenio indulgentes, sed longe alterius notæ & institutionis, idque non ex delectu solo hominum, sed Dei, qui inspirat illis, & dat huic, cui vult sua dona liberrime.

Quod si quis huic DEI dono sese opponat, & quia ipse eius non sit particeps, aliis inuideat, de possessoribus

bus ex Dei gratia peſſime loquatur, artem impoſſibilem dictet, eamque exoſam reddere conetur omnibus, quia eam non intelligat, hunc ego blaſphemum & bipedum peſſimum iudicauero, qui non habeat plus rationis, quam pecus, longe autem plus inuidiæ, quam canis in fœno, aratori boui inuidens id pabuli, quod ſibi non eſt ex vſu: Hi enim non audent iraſci cum Deo & ei exprobrare, cur ſeſe tanto munere non bearit, quod impium auditu foret, ideo rem alia aggrediuntur via, nempe vt gloriam diuinam diminuant & detrahant, honeſtiori vtuntur periphraſi, dicentes artem illam eſſe falſam & deceptionem, de faciendo auro, impoſſibilem, Deo & ſacro Scripturæ (audi peruerſitatem) contrariam, eique deditos deceptores: Sic vna fidelia, quod dici ſolet, duos parietes dealbant; nempe quod & Deo & hominibus in eo contradicant, Dei gloriam & hominum exiſtimationem violando, idq; ſub præ textu religionis.

Quod si vero isti detractores & calumniatores se intra suos terminos continerent, melius facerent: Chymia enim an sit vera, nec ne, nihil ad eos: Interim, dicant, quo artificio Moses aureum illum vitulum combusserit in pulueres, absque Chymiæ opera, & dederit Israelitis in potu: Ego hic infero, *Qui potest aurum comburere in pulueres, Chymicus est: At illud Moses fecit: Fuit ergo Chymiæ non ignarus.* Ipsi ne sapiant extra suam crepidam, nisi desipere velint videri, & maneant inconsulti, donec de veritate tantæ rei consulantur; Si tacuissent, sapientes æstimati essent, ab illis, quibus nunc pueris persimiles apparent: Magni non sunt, qui, quæ reuera magna sunt, non capiunt, ideoque paruifaciunt, sed abiecti animi & pusilli.

Non desunt authores, qui asserant tanti doni possessores, si modo tales sint bono titulo, à Deo numerari proxime post suos prophetas & sanctos; quod nec absurdum videatur illi, qui consideret hoc Donum pro-

proxime numerari post cœlestia illa, nec in his terris extare aliquod ex priuatis precioſius: Nemo adeo ſtultus eſt, vt vrticam increpet, quaſi à Deo conceſſum ſit vegetabile adurens manus contrectantium, inutile & vituperatione dignum, cuius laudes *Phanias* phyſicus condidit: Quis itaque adeo demens fuerit, vt tam excellentiſſimum DEI munus pro nihilo habeat, è medio naturæ tollere conetur & omnibus exoſum reddere? Si magnus Rex vni ex ſubditis donet, aulam vel domum precioſam in altero eius regno ſitam, an alij, qui negarint talem domum in rerum natura extare, non offenderent iſtum Regem, an vero quid gratum ſua illa denegatione ei præſtarent; quaſi non ſit ille rex tam potens aut diues, vt poſſit, tam clemens, vt velit alteri tantum boni donare? Aut an non liceat ipſi facere cum ſuis, quid velit, aut an in indignum (in quo eius prudentia taxatur) ſe contuliſſe non animaduerterit?

Ita inuidi & osores huius doni quadruplici nomine Dei omnipotentiam, clementiam, effusionem & prouidentiam incusant, qui si id ex mera imperitia aut ignorantia agunt, instruendi & docendi sunt, si ex malitia & peruersitate, increpandi: *O vos duræ ceruicis* & prauæ voluntatis homines quid putatis vos vestra ignorantia præiudicium facturos Deo & hominibus? Cur non *eundem* Philosophum imitamini, qui cum Chrysippo disputaturus helleboro se ante purgabat ad exprimendum ingenium suum attentius & illius refellendum acrius, vt testatur Valerius Maxim.? *O vos bis pueri*, quid Attici Herodis Sophistæ filium exprimitis, qui tanta fuit ingenij hebetudine, vt ne elementorum quidem nomina perdiscere aut retinere vnquam potuerit? O vos inuersi Apuleij, quid rosas rubeas despicitis, in quibus tamen magna pars vestræ sanitatis delitescit.

Hic est cupido ille formosissimus Psychæ acceptissimus, quem qui non

non agnoscet, sed importunitate sua fugabit, quærat eum per mundi partes diuersas: Vbique enim est, at nullibi animaduertitur, nisi à sapientibus: Auicenna optime refellit huius artis aduersarios argumento oculorum, dum inquit: *Nisi aurum & argentum viderem, dicerem artem non esse veram; sed quia video, scio, quod sit vera*: Et alius: *Nisi*, inquit, *granum frumenti esset in mundo, multiplicari non posset*: Et si saltem vnus filius & vna mater essent in mundo, an non coniugio copulari deberent, vt fieret multiplicatio generis humani? Quod tamen rigidi illi censores non interpretentur de homine, sed potius de subiectis chymicis.

Si diuitiæ dant authoritatem, si vestes precioſę honorem, si sapientia fidem, si beneuolentia amorem, Quid ni fratres hæc omnia mererentur? An vero maius quid est possidere opes & aurum per fraudes, exactiones, dolos, facinora, immisericordiam, fœnus, extorsum ab aliis, in quo sanguinolentæ notæ pauperum,

rum, lachrymæ viduarum, gemitus orphanorum, ſudor laborantium exprimantur, quam diuitias habere acceptas ex Dei benignitate non maculatas aut infectas tot paſſionibus? De illis dicitur,

De male quæſitis non gaudet tertius hæres.

Et, *male partum male diſperit*; De his, *manducabis labores manuum tuarum*; *Et nulla eſt iuſtior poſſeſſio, quam Donum DEI.*

Si quis miles pauper in militia multos occidat, ſpoliet, eorumque bona diripiat, infantes mactet, virgines ſtupret, & ad ſeſe multa coronatorum millia transferat, an non ille quaſi iuſte parta ſua poſſidet, nec vllus eſt, qui propterea illi dicam dicat, Imo ille ipſe tanquam ſuo ſanguine parta ea in maiori habet precio, quam alia? At ſi per artem naturæ inſculptam, in manu Dei reſeruatam, abſque alterius damno, iniuria aut præiudicio, imo cum ægrorum & egenorum maximo commodo, quis domi ſuæ manens opes

&

& diuitias sibi comparet iustissimas, an ille probroso nomine Alchymistæ vocandus erit & exibilandus in publicis conuentibus, quasi spolium commisisset & sacrilegium? Si hoc iustum est & legitimum, tum vitia laudantur, virtutes supprimuntur.

At illi, qui ita iudicant, suæ mentis imbecillitatem potius aliis indicant, quam verum iudicium, inuidiam, qua laborant, potius manifestant, quam synceritatem: Faciunt enim vt canes non generosi, qui latrant etiam contra absentes & mordent lapidem omisso iactore: Nemo autem opinetur, deesse possessoribus tantæ fœlicitatis mentem aut noticiam, quomodo sese efferre possent præ aliis, equis, vestibus, famulis, armis & aliis ne in vili vestitu & solitaria sua peregrinatione haberentur despectui, verum potius volunt alios intellectus sui infirmitatem & iudicij absurditatem declarare, quam se diuitiarum suarum potentiam & efficaciam.

Si quis humilis est, cum superbire pos-

possit rebus omnibus, quibus mundani sese efferunt & luxuriant, an non præ aliis honore dignus est? Si quis alteri gratis medetur, cum possit innumeros famulos alere & suos opibus quiete viuere, an non proxime accedit ad Dei electos & sanctos? Si quis liberales artes promouet, iisque vnice intentus est, cum equos & canes ad venationes & prædia ad nutum habere queat, quot velit, an non hic venerandus est præ aliis?

In vobis ergo ô detractores dementia vna cum pessima voluntate locum inuenit, qui canina vestra facundia viros tam magnos reipsa, animo humiles, tam diuites & rerum omniúm abundantes, literarum studiis indulgentes, tam circumspectos & prudentes stringitis & taxatis, nec non pro nequissimis proclamatis: Cogitate quid sanctus Hieronymus ad Asellam dicat: *Non facilis, est*, inquit, *venia, praua dixisse de rectis:* Et sanctus Ambrosius: *Si*, inquit, *pro otioso verbo ratio poscitur, quanto magis*

gis pro sermone impietatis pœna exoluitur? Et Gregorius: *Quid aliud detrahentes faciunt, nisi quod in puluerem sufflant, atque in oculos suos terram excitant?*

Origenes homil. 7. in Numeros 12. vbi declarat pœnam calumniarum Miriam, sororis Mosis, sic ait: *Videte, quid sibi pœnæ contulerint obtrectatores, quid vero illi, cui obtrectauerant, quæsierint laudis: sibi turpitudinem, illi splendorem, sibi lepram, illi gloriam.* In Codice libro nono, titul. trigesimosexto, lege prima: *Honorius Imperator statuit pœnam calumniæ similitudinem supplicij.* Et sanctus Bernhardus, *Gladius anceps*, inquit, *lingua detractoris: Nec vero huiusmodi linguam ipso mucrone, quo dominicum latus confossum est, crudeliorem dicere verearis: Hæc enim non tam exanime Christi corpus fodit, sed facit exanime fodiendo.*

Nunc ad alterum membrum: Fratres nempe R. C. esse DEI donorum possessores: Hoc enim ipsi aperte in suis libris fatentur, quibus idcirco fides adhibenda est: Hoc cir- *Assumptio.*

circumstantiæ docent & manifesti effectus conuincunt.

Hic alij opinantur Fratres eos nusquam existere, sed esse fictitios, & ex cuiusdam turbas dare conantis per Germaniam cerebro tantum prognatos, esse phantasmata rerum inania, promissorum plena: sed res ipsa longe aliter loquitur, ratione & experientia attestantibus.

Fuisse eiusmodi collegia olim & adhuc esse posse, alibi demonstrauimus: Deinde indubitati effectus de sua causa satis testimonij præbent: Si omnia, quæ non vidimus, in dubium vocare velimus, quæ tandem pro certis habebimus, cum & oculi decipi possint? In Symbolis aureæ mensæ, libro duodecimo, Exemplum cuiusdam anonymi produximus, quod hoc loco sit sufficiens; Id enim à fratre R. C. profectum esse longe ante quam se scriptis patefecerint, certissimum est: Cui attestatur ille, qui Wetzlariæ, & alter qui Haganoæ post fuerunt, quorum hic scri-

scriptis, ille factis mirificis se comprobauit.

Quod vero tot male feriati & nequissimi homines prætextum sibi quærant sub fratrum R. C. nomine alios decipiendo lucrari, hoc nihil ad ipsos: Notum est in eiusmodi rerum magnarum initiis plures malos concurrere, quam bonos, & deprauare omnia etiam cautissime instituta: Vt enim muscæ splendidis & politis metallis lubentissime insident, eaque inficiunt, sic peruersi quique rebus precioſis se associant, vt eas inquinent: *Nequitia est ipsos, quæ vetat esse probos*, non res alia: Omne falsum seipsum conficit & iugulat, vt polypi in fame sibi arrodunt pedes, & impossibile est, vt ingenio hominis quid ita effingatur, vt in omnibus circumstantiis cum veritate conueniat.

Si iam Fraternitatis fama esset fabula, nec quicquam veritatis in se contineret, primo aspectu agnosci posset, veluti eiusmodi figmenta alia: Sed hæc omnia sunt de possibili-

bus, licet raro contingentibus, & vt vera cum veris consonant: Leges ipsis propriæ idem conuincunt, Author eorum primus, qui non ex se; sed aliis hanc artem habuit, qua habita non difficile fuit illi omnia ita ordinare & instituere, eius sepulchri inuentio & manifestatio, & quæcunque alia: Cur vero nomen authoris & locum suæ habitationis taceant, probabilis est causa, veluti & quod se in genere & non amplius patefecerint.

Ex quibus vel minimum sufficit ad demonstrandum Fratres R. C. esse aurifico Dono à Deo ornatos: Vbi enim rerum testimonia adsunt, verborum vix requiri videntur amplius.

Conclusio. Ipsi itaque iudicent, quid de Fratribus R. C. concludendum sit, nempe quod fauore omnium hominum dignissimi habeantur, vt qui Diuino beneficio omnium maximo non indigni reputati sunt ab arbitro & Oeconomo totius mundi, qui sua dona dat non indignis, quo ad enormia

mia vitia, sed temperatis & modestis, ex mera gratia, vt nimirum plura bona inde fiant: Atque hinc parcendum erit calumniis, obtrectationibus & serpentinis sibilis, nec quid de bonis, nisi bene statuendum.

Quod dicitur, ipsos magnas turbas per Germaniam excitare, id mihi hactenus ignotum fuit; nec credibile, nisi probetur: Quod si vero per accidens ex quorundam persuasione, mania, delirio aut opinione male fundata quid contingat, hoc illis imputari non nisi iniurioſe potest: Cum Dominus Lutherus libertatem conscientiarum à iugo papistico assereret, Anabaptistæ Muntzero duce, & ruricolæ per Germaniam excitati sunt ad motus & tumultus rebellionum; vnde supra centum millia eorum trucidata sunt: Hoc Papistæ iniquè Lutheri dogmati imputant, quamuis ex siniſtra opinione ortum fuerit, & à Luthero verbis & scriptis explosum & refutatum.

Ita si quis maniacus factus multa deblateret de illis, quos non nouit, seseque ipsorum caput dictitet (cum ipse ratione & intellectu aberret) aut si quid aliud ex hominum temeraria persuasione acciderit, id ascribi illis, qui veritatem defendunt nequit:

Multa enim cadunt inter calicem supremaque labra:
Et quilibet suæ fortunæ faber est.

Idololatræ Ephesij multa crimina in sanctum Paulum coaceruabant, quasi seditiosus excitaret tumultus: At ille veritatem Euangelij professus contradicentibus sibi viriliter respondit: Magis obtemperandum esse Deo, quam homini, seseque veritatem dicere, quod si inde quid accidat præter suam voluntatem, id aliis imputandum.

Etsi vero hi fratres in verbo Dei, quod (Deo sit laus) satis clare eluxit, prædicando non sint primario occupati, sed curandis ægris operam suam addicarint, vt olim Apostoli, gratis per media licita & à

Deo

Deo conceſſa, vt illi abſque mediis, tamen hoc illorum donum & profeſſionis munus proxime ad illud accedit, & multum charitatis continet.

Ne itaque his Veritatem & Dei benignitatem proclamantibus ſimus aduerſi, ſed vt decet Chriſtianos ab humanitate non alienos, ipſis omnia beneuolentiæ officia præſtemus. *Hoc eſt, Verum à Germanis inuentum vniuerſale, ſextum in ordine*, cui qui ſe opponunt, falſitatum tenebris, non veritatis luce clariſſima gaudere ſe teſtantur.

Poſſem quidem hoc loco quamplurima alia, quaſi particularia, forte trecenta opera à Germanis primum reperta, producere, ſed ne alicui magis inuidiam, quam veri agnitionem, magis ſtomachum, quam intellectum moueam, hic ſubſiſtam.

In Aſtronomicis, Anatomicis, Botanicis, Geographicis, Poeſi, Opticis, Logicis, Chymiatria, aliiſque

que artibus liberalibus, nec non mechanicis, pingendi, plastica, architectonica, automatis, semper mobili, fabrilibus omnis generis, tinctoria, pingendi vitra, nauigandi, bella gerendi, & omnibus aliis Germani quamplurima inuenerunt, quę singulari tractatu euoluere esset operæprecium.

Nolim interea quid detractum aliis Nationibus, quæ singulæ habent & sua dona non contemnenda; Phœnices literarum vsum inuenerunt, Ægyptij quam plures scientias, Græci fabulas, Romani Imperium, Hispani nouum mundum, & primi Magellano duce circumnauigarunt orbem terrarum, Itali musicam excoluerunt authore Boethio, quam tamen à Græcis acceperunt, Item Arithmeticam, ab iisdem acceptam.

Quid multis? habent singulæ nationes suas dotes & virtutes, vt & vitia; nec aliquod regnum aut mundi angulus est, in quo non Dei dona sint conspicua.

Plura

Plura autem & maiora, quam iam dicta sex, vix puto in toto mundo extare, atque illa tamen omnia à Germanis inuenta esse nemo negare poterit, nisi inuidiose & perperam: Hæc si considerasset ille Brito scopticus, satius ipsi fuisset linguam & calamum continuisse, quam dicteriis lacessere illam nationem, quæ non minima, sed quocunque modo æstimetur, omnium maxima est, quæ non vnum suæ fortitudinis ac ingenij exemplum, sed quam plurima, cuicunque, qui non est cæcus, obuia, ediderit; quæ summa in Imperio affectauit, & obtinuit, quæ noua inuenta addidit Marti & arti, militiæ & literaturæ, quæ Medicinas animæ & corporis illustrauit & repurgauit à fœcibus abusuum, ac Chymię donum precioſissimum per aliquot secula in perpetua possessione habuit.

Si spectandæ sint gentes Germanicæ, olim fuere supra quinquaginta, nunc cum Germania sit duplo maior, quam antiquitus, si numerari

rari deberent, longe essent plures: At iam confunduntur, vtpote sub vno principe existentes, pro vna.

Si Principes, Duces, Palatini, Marchiones, Landgrauij, Burggrauij, Comites, Baronesque spectentur, tota Europa his non æquiualet, quo ad numerum, potentiam & iurisdictionem pene regiam: Si Nobilitas in prædiis & castris viuens, hæc forte per totam Germaniam numerum viginti millium excederet: Si oppida & ciuitates, quarum numerum supra mille æstimarem: si vicos & pagos, quos plures esse, quam trecenties mille, opinor: Si agros, montes, syluas, fodinas metallicas, fluuios, stagna piscibus abundantia, si pecora, iumenta, & omnia alia, in his nulli regioni cedit: Si equos, innumerabiles dant ducatus Slesuicensis, Holsatiæ, Megalburgensis, Pomeraniæ, Brunsuicensis, Lunæburgensis, Brandeburgica triplex Marchia, Westphalia, Frisia, Saxonia inferior & superior, qui omnes sunt principatus amplis-

pliſſimi, & ditiones latiſſimæ, Saxonicæ linguæ & iuris; Si ſaltem ex duobus primis ducatibus numerandi omnes equi eſſent, non dubito, quin ad quinquaginta millia peruenirent, vt de aliis nihil dicam: Vix enim colonus eſt, qui non denos aut duodenos, interdum etiam vicenos habeat; ne nobilium aut ciuitatum hic mentionem faciam: Vix tota Italia tantum numerum dare poterit.

Si pedites, Germania ſub Carolo Quinto, & deinde aliquoties, centum viginti millia ex voluntariis, nullo coacto, produxit, & viginti millia Equitum: Si tota natio, vt olim, cogi deberet, Xerxis exercitum forte decies ſuperaret, hoc eſt, decem myriadas & plures armaret: Si munimenta & caſtra reſpiciantur, hæc ſunt principum innumerabilia: Si bella ſint in Europa, vbicunque, ſeu Sarmatia, Muſchouia, Polonia, Liuonia, Suecia, Dania, Hiſpania, Gallia, aut Italia, nil abſque Germano milite vix vnquam geſtum eſt.

Ante paucos annos cum in Belgio, Francia & Vngaria simul essent bella, Germanorum militum supra ducenta millia in diuersis locis militarunt, ita tamen vt vix vnus in oppidis aut agris deesse videretur: Populosissima itaque est nunc Germania, nec cum antiqua illa comparanda.

Quæ ideo attulimus, ne ille qui extra suam patriam nunquam egressus fuit, aut si in Germaniam venerit, conditionem tamen eius ignoret (quia in Germania non omnia in vnum locum coacta sunt, vt in aliis regnis passim videmus) ex descriptione Taciti aut Plinij antiqua iudicet de moderna: Nunc longe alia est, imo Regina comptissima, cum eo tempore fuerit adhuc barbara, nuda, desolata & inculta: Quæ cum in sua barbarie fere inuicta fuerit, quid nunc de ea dicemus, nisi DEVS propter peccata quid (quod absit) illi contingere admittat?

Faxit ille, qui omnium regnorum

&

& populorum est Arbiter, vt in flore suo perpetuo maneat non solum Germania, sed & reliqua ipsi vicina, Christiani orbis, regna, ne ob bella inter hæc ciuilia Turcico tyranno occasio datur, vni aut alteri iugum Christianis vlterius imponendi, aut quocunque modo noxam inferendi.

* *
*

FINIS.

FRANCOFVRTI AD
Mœnum, typis NICOLAI HOFF-
MANNI, sumptibus Lucæ
Jennis.

Anno M. D C. XIX.